CASP. SCIOPPII

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ STOICÆ MORALIS.

Quæ in Senecam, Ciceronem, Plutarchum, aliosq; Scriptores, Commentarii loco esse possint.

S. HIERON. IN X. ISAIÆ.

***STOICI** nostro dogmati in plerisque concordant.*

M. T. CICERO IV. TVSCVL.

Licet insectemur Stoicos, metuo ne soli Philosophi sint.

MOGVNTIÆ

Ex Calcographeo IOANNIS ALBINI

Anno CIↃ IↃ CVI.

DIOGENES LAERTIVS LIBRO SEPTIMO.

ZENO in Stoa, hoc est, in porticu varia inambulans (quæ porticus alio quoq; nomine Pisianactia vocatur, à Polygnoti autem pictura, varia dicitur) sermones habebat, locum quoq; ipsum tranquillitatis plenissimũ reddere volebat. In eo enim triginta dominantibus, mille fermè & quadringenti ciues interēpti fuerant. Eò igitur iam reliquo tempore illius auditores conuenerunt, ob eamq; caussam ab eo quoq; profecti, STOICI quasi Porticuarios dicas, vocati sunt.

Ill.^mo^ & Reu.^mo

D. CYNTHIO CARDINALI S. GEORGII.

NON ſum neſcius, Cynthi Cardinalis, complures exſtituros, qui me abſurdè feciſſe cenſeant, quòd ad te de Philoſophia Stoica ſcribendi cõſilium ſuſceperim: ac propterea rectè atq; ordine facturus videor, ſi, quæ me cauſſa primùm ad hoc ſcriptionis genus impulerit, & cur te vnum ex omnibus, cui lucubratiunculam iſtam inſciberem, delegerim, breuiter exponam. Annis igitur ſuperioribus cùm Illuſtriſſimæ memoriæ Princeps ANTONIVS MARIA SALVIATVS, lumen & ornamentum

Sacri Cardinalium Collegii, in ſcripta quędam mea fortè incidiſſet, quòrum partim ad communes literas & politiorem humanitatem, partim ad nonnulla religionis noſtrę capita, de quib. cùm Hæreticis controuerſiam habemus, ſpectarent: ſic ſtatim ingenio ac conatibus meis fauere cœpit, vt tantum mihi, nec dum etiam viſo, iudicio ſuo, quò ceterarum rerum valebat plurimum, deferre ſe oſtenderit, quantum ego neque ſi ambitioſiſſimus eſſem, poſtulare auderem, neque ſi ad verum fuiſſet veniendum, ſuſtinere poſſem. Hanc ſummi viri erga me beneuolentiam (ſic enim potiùs, quàm iudicium, appellandam exiſtimo) non mediocriter poſtmodum auxit vir antiquæ virtutis ac fidei, *Iſidorus Robertus*, cuius ipſe integritatem multorum annorum vſu perſpectam cognitamq́; habebat, poſtquam ei quadam die in ſermone iniecit, me non parum multum operæ ac ſtudii cognoſcendis & perdiſcendis Stoicorum Philoſophorum placitis tribuere ſolere. Cùm enim ſingularem quamdam natura grauitatem Saluiato tribuiſſet,

eam-

.mque ipse prisci Catonis exemplo perpetua constantia roboraflet, neque vmquam se cuiusquam quamuis potentis & actiosi ostensione, à virtutis prescriptione erique regula deterreri passus & ex eo TOICI nomen à plerisque iam consecutus esset, miro quodam desiderio omnē stoicorum rationem ac disciplinam penitiùs pernoscendi exarsit: idque impendiò magis, simul ex historicorum testificatione, quàm admirabiles ab hac philosophādi ratione ad Imperium Romanum tam fundandum & constituendum, quàm tuendum ac propagandum vtilitates allatæ fuissent, intellexit. Athenodòrus enim Stoicus præceptis monitisque suis ex Zenonis porticu petitis, vt Imperii Romani forma ex Tyrannide in Regnum conuerteretur, apud Octauianum Augustum perfecit, cuius rei Iulianus ὁ παραβάτης in Cæsaribus suis testis est. *Octauianus prodiit in medium* (inquit) *modò hos, modò alios, chamæleontis ritu, colores assumens: eo conspecto Silenus exclamauit; Papæ, quàm varium hoc animal! nempe nobis aliquid mali inferet. Cui*

 Apollo:

Apollo: Desine nugari, inquit: hunc enim ego vbi huic Zenoni tradidero, mox ipsum vobis exhibebo, tamquam aurum putum & incorruptum. Et cum dicto, Heus tu, inquit, Zeno, alumni mei curam habeto. Ille verò dicto audiens, deinde paullum nescio quid Octauiano obmurmurans, tamquam si quis Zamolxidis incantationes ad aurem insusurraret, reddidit eum virum probum & frugi. Et Zosimus: *Octauianus*, inquit, *imperium moderatè gerere visus fuit, ex quo præsertim Athenodori Stoici consiliis paruit.* Marcus autem Antoninus Apollonii, Sexti, Iunii Rustici, aliorumque Stoicorum disciplina non Philosophus tantum optimus & grauissimus (quod libris de vita sua editis satis demonstrat) sed talis etiam Imperator euasit, vt bellis variis, Marcomannico pcipuè, quo nullum vlla memoria maius ac formidolosius contra Romanam rem commotũ fuisse Historici auctores sunt, pari virtute ac felicitate profligatis & confectis, aurea Saturni sæcula reformasse ac retulisse visus fuerit, ac propterea cùm funus ei duceretur, nemo illum (ait Capitolinus)

nus) plangendum censuerit, certis omnibus, quòd à Diis commodatus ad Deos rediisset. Hæc igitur secum ipse considerans Saluiatus, nihil magis in optatis habuit, quàm dari sibi aliquem, à quo de talis ac tantæ disciplinæ decretis & præceptis κατὰ λεπτὸν edoceri posset: eoque consilio Isidorum suum ad me misit, meque vt ad se venirem, & amicitiam (vt aiebat) consuetudinemq; secum coniungerem rogauit. Sed ego persona & dignitate viri mecum reputata committendum mihi non putaui, vt virium mearum infirmitatem parum nouisse, & ad suscipiendum onus multò grauissimum temerè accessisse videri possem. Hominem enim ea generis nobilitate præditum, iis muneribus in Italia Galliaque magna cum laude perfunctum, eum denique honoris gradum, quo ad præcelsissimum Christianæ potestatis fastigium proximè acceditur, dignitate consecutum, aliquid docere velle, res omnino ardua ac difficilis, &, vt Poeta ait, *Periculosæ ple-*

num opus alea videbatur, cùm præſertim ſumma quædã non in verbis tantùm Saluiati, ſed in nutu quoque auctoritas reſidere diceretur, & tantæ iacturæ ſumptusque pænè incredibiles in templa, collegia, & valetudinaria cùm fundanda primùm & exſtruenda, tum fructibus annuis ad viduarum, orborum & morbis inſanabilibus ac deſperatis affectorum præſidium atque victum locupletanda & ornanda, ab eo facti clamarent & teſtarentur, eum tanta maximarum virtutum præſtantia excellere, vt non temerè quis, quamquam abſolutis & perfectis Stoicæ diſciplinæ philoſophis à puero magiſtris vſus, adſpirare ad laudem illius poſſe videretur. Verumtamen ne voluntati talis viri, *Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit*, minùs morigerari viderer, non diu moratus Aduerſaria mea conſulere, quæque lectione complurium ſcriptorum priùs obſeruata in ea congeſſeram ac comportaram, adhibito iudicio in ordinem digerere cæpi. Sed interea dum ipſi munus illud elimo, Deus illum morte matura quidem & vitæ conſen-

ſentanea, bonis tamen omnibus luctuoſa & acerba extremum diem conficere, & in beatorum ſedes tot tantiſque eius virtutibus iam diu debitas commigrare iubet. Qui quidem viri illuſtriſſimi obitus quamquam magno me præſidio, quod mihi & ſtudiis meis viuo illo rectiſſimè polliceri poteram, derepente priuauit, quòd minùs tamen moleſtus mihi acciderit, illi ipſi, cuius gratia tam ſalutaria Stoicorum præcepta recolenda ſumpſeram, iisque me aduerſus fortuitos caſus munieram & inſtruxeram, acceptum ferendum eſſe ſenſi. Ac quoniam in ſpem non exiguam, &, quemadmodum puto, certam adductus ſum, non minus aliis, quàm mihi fuerit, fructuoſum & ſalutarem fore laborem hunc meum, ſimul impellentibus me aliis quoque cauſſis, quas de principio ſcriptionis huiuſce breuiter perſtrinxi atque attigi, editionem eius diutiùs ſuſtinere inque diem differre ratio nulla viſa fuit.

Cur autem in tuo nomine potiſſimùm, Vir Ampliſſime, libellum meum apparere velim, vtinam tam apertè & palam eloqui

fas esset, quàm mihi complures grauissimę caussę haudquaquam desunt! Sed mihi magnam hic difficultatē obiectam video, ex qua non minimi consilii fuerit facilème expedire. Præcipuam enim ac propè dixerim vnicam huius προσφωνήσεως caussam exponere non possum, nisi eadem opera te laudare velim: quam ego rem non ideò abhorreo ac reformido, quòd assentatoris suspicionem mouere verear (scio enim neque omnes, qui laudant, adulatores; neq; rursum, qui vituperant, integros potiùs, quàm inuidos ac maledicos videri) sed quod ea, quæ in te prædicari in primis merentur, quorumque ego solus ferè sum conscius, detestandæ inuidiæ caussa enunciare non audeam, quæ autem mecum simul sciunt multi alii, ea ego laudi non ducam, in tuis certè laudib. ponenda non existimem: Quantulum enim de virtutibus tuis laudauero, si te dicam amplissimi honoris & nominis opera adeò à te ipso & à pristina humanitate ac communitate non discessisse, vt si plures tui similes reperiri possent (quod scio posse paucissimos) de

de veritate communis & vetustate contriti prouerbii nunc de hinc dubitandum videatur, quo *honoribus mutari mores* aiunt? *Pedissequa plerumque noui honoris est arrogantia* (ait Drepanus, eique totidem ferè verbis assentiens S. Saluianus) *vixq; cuiquam contingit & abundare fortuna, & indigere superbia.* neque paucos Tiberio Cæsari similes videre est, qui (vt auctor est Seneca) auersabatur omnium amicorum & æqualium notitiam, & illam solam præsentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari volebat; inquisitorem habebat veterem amicum. Ab horum ingenio & natura tu longè ac grauiter dissentiens: non moleste pateris, te, quod res est, virtute potiùs ac dignitate honorem amplissimum impetrasse, quàm ad alienæ petitionis occasionem intercepisse, aut diuturno assiduarum allegationum odio expugnasse iudicari: adeoq; nec veteres ignoras amicos (quod iis facere solemne est, qui per ludum & negligentiam maiora consequuntur, quàm quæ angustiæ animorum eiusmodi capere queant) neq; nouis clientibus,

tibus, si quando vel pusillum laxamenti nactus es, de admissionum tuarum difficultate conquerendi materiam relinquis, vt verissimè Comicus dixerit:

Ἥδιςόν ἐςιν εὐτυχοῦντα νοῦν ἔχειν.
Κοινόν ἢ ἀγαθὸν τοῦτο, Χρηςὸς εὐτυχῶν.

Suauissimum est, cùm fortunatus mentem habet
Commune, vir bonus, idem felix, est bonum.

Neque non aliis potiùs, quàm tibi Euripides Scenicus Philosophus, (velut à Sexto Empirico & Clemente Alexandrino appellari solet) cantilenam illam suam insusurrare videatur:

Κἆτ' ἐπεὶ κατέσχες ἀρχὰς, μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους,
Τοῖς φίλοισιν οὐκ ἔτ' ἦσθα τοῖς πάρος ὡς πρόσθεν φίλος,
Δυσπρόσιτος, ἔσωτε κλείθρων σπάνιος. Ἄνδρα δ' οὐ χρεὼν
Τὸν ἀγαθὸν, πράσσοντα μεγάλα, τοὺς τρόπους μεθιςάναι,
Ἀλλὰ καὶ βέβαιον εἶναι τότε μάλιςα τοῖς φίλοις,

Ἡνίκ'

Ἡνίκ' ὠφελεῖν μάλιστα δυνατός ἐστιν εὐτυ-
χῶν.

Postquam ad imperium adspirasti, mores commutans tuos,
Non amicis, vt prius, fuisti amicus amplius,
Non adiri facilis, intra claustraq́ abditus.
At boni non est, mutari, adeptum magna, moribus,
Sed suis tunc esse amicis firmum oportet maximè,
Maximè illis cùm prodesse fortunatus iam potest.

Sed non amicis ac clientibus modò tuis talem te præbes, etiam ignotissimo cuique ita facilitatem & humanitatem tuam probas, vt neminem ad te accessisse pœnitere possit. Cùm enim non pauci reperiantur, qui eos, à quibus adeuntur & rogantur, vulgò ac promiscuè nulloq; penitus dilectu & discrimine bene sperare iubeant, sæpe etiam spes improbas nihil adiuturi verbis foueant, parum pensi habentes, quid iis postea, quos lactauerint falsisque pollicitationibus produxerint, animi futurum sit: alii ex contraria parte ingentia etiam

etiam beneficia sua silentio aut loquendi tarditate, grauitatem & tristitiam imitata corrumpant, vultuque negantium promittant: tu rectam insistens viam, non, quod polliceris, tardè præstas, sed quod præstas, tardè polliceris, vt effugias scilicet iustam illam poetæ reprehensionem:

Κομπεῖν ἐς ἀπλῆ σὺν ψεύδεσιν, αἰσχρὸν ὄνειδος.

Irrita probrosum ac turpe est promittere falsò:

Et quoniam ex eiusdem sententia — λιπαρεῖν οὐ καλὸν δίκαια προσχρήζουσιν — *Supplicare non decet. Qui iusta poscunt* — nihilque est amarum æquè, quàm diu pendere, vt æquiore animo quidam ferant præcidi spem suam, quàm trahi: operam sedulò tibi dandam putas, ne aut differendo, id est, timidè negando, aut aliorũ more difficulter, subductis superciliis, malignisque & vix exeuntibus verbis promittendo desideria rogãtis torquere, seu, diu noluisse videaris. Erga amicos porrò quamuis eximia & constanti voluntate esse soleas, eam

tamen

tamen cùm quid momenti maioris petere instituerint, religionem adhibere soles, vt non temerè etiam, qui te caussa sua omnia velle sciat, vel sibi quicquam, vel amicis ausit postulare quod te tribuere vel indulgere minùs dignum videatur, eaque re in te conueniat, quod de Catone Tullium dixisse legimus: *O te felicem M. Porci, à quo rem improbam petere nemo audet*.

Hæc ego quidem omnia in te laudare possem, quippe qui ea vsu & tractando verissima esse cognouerim, neque necesse habeam vereri, ne id assentatoriè quisquam dictum existimaturus sit. Nam de te ipso, nequà hoc nomine tibi fortè suspectus sim, minùs laboro, cùm neq; is tu sis, qui, quid sis, nescias, & me talem iam sæpius expertus fueris, qui animi sensum in fronte inscriptum geram, malimque veris offendere, quàm placere adulando: cuius artis exercitationē illis ego relinquo, qui solicitis articulis secū computāt, *Sportula quid referat, quantum rationib. addat*: & allegationib. ac fauorib. potētissimi cuiusq; subnixi

experiuntur. *Ad summas emergere opes, rerumq́; potiri.* Ego autem sum ex illis incallidis, quos negant, qui vrbanioris notæ sunt, literas nouisse, ἀγροικώτερός τις ϗ τῶν ἐφημέρια φρονεόντων, qui patienter olus prandere didicerunt, quosque, vt poeta ait, *—nil lædit veste carere Purpurea, atq; auro signisq́; ingentibus apta.* Possem, inquam, illa in te laudare, nisi sic prorsus persuasum haberem, ea Cardinali non tam, si adsint, laudem conflare, quàm vituperationem, si desint, inurere. quis enim Cardinalem, in quo ista desiderentur, æquo animo ferat & concoquat, nisi qui ex illis sit, apud quos τὸ κολακεύειν νῦν ἀρεσκείας ἔχει ὄνομα, quique *— Semper & omni Nocte dieq; potest alienum sumere vultum?* Deinde si vel maximè laudem mereantur, nihil hæc tamen ad illud adhuc, quod mihi in te prope solo laudandum videtur, cuiusq; gratia ego te SALVIATO τῷ μακαρίτῃ in huius operis προσφωνήσει substituendum iudicaui ad Excellentem illam scilicet animi tui magnitudinem & singularis exempli Magnificentiam: de qua vellem posse me,

me, proinde ac mereris, aliquantò explanatiùs magisque perspicuè prædicare. Sed tempora hæc, in quæ incidimus, cogito, quæ adeò Virtuti infesta experimur, vt quo quisq; excelsiore ac nobiliore animo præditum se declarat, tanto maius apud plerosq; iam odium sibi inueniat: vt mittam, te, quæ facis, nequaquam vt id sciant alii teq; prædicent, facere, & illa, quæ ego à te ingenti animo suscepta scio, eiusmodi esse, vt de iis prædicanti ne illi quidem, qui ceteroquin ingenium moresq; tuos penitùs callere se putant, credituri videantur. Quare quoniam quæ me præter ceteras caussa impulerit, vt illustrissimo tuo nomine libellum hunc meum proscriberem, explicare prohibeor, nihil hic dicam aliud nisi te tam multa, tam magna tamque illustria summæ in me beneuolentiæ signa ostendisse, vt nisi vehementer ponderandorum beneficiorum imperitus, summeque, non dicam, ingratus, sed impius, neminem tibi pręferre queam quamuis enim in me propriè nullum adhuc beneficium contuleris, in amicis tamen meis, quos tibi

commendaui, complectendis ornandisque tam benignus ac prolixus, prorsusque officii semper plenissimus fuisti, vt mihi ipsi, si casus inciderit, omnia summa de voluntate tua certò polliceri possim. Quo accedit, quòd cùm tibi vni plus, quàm omnibus aliis, negotii exhibuerim, sæpiusque maximis occupationibus curisque implicatum te obturbauerim, meritò STOICA hæc nostra, quibus libertatem an intempestiuam molestamque interpellationem meam debere acceptam ferri intelligo, tibi dicanda potissimùm videtur. Accipe igitur, Illustrissime Cardinalis, hæc MORALIS PHILOSOPHIÆ ELEMENTA, & legendis iis, cùm vacauerit, horas pauculas, si videbitur, impertire, non vt ex iis quicquam, quod antè nescieueris, discas (neque enim vsque eo insanio, vt tantum mihi arrogem) sed vt bono tuo gaudeas, sitasque in te virtutes in disputatione nostra lubens recognoscas. Vale. De Colle Hortulorum a. d. IV. Non. Oct. Anni CIↃ IↃ CIV.

LE-

LECTORI S.

CVM in extrema parte & conclusione huius nostri operis ad ea, quæ contra hanc philosophandi rationem à Socrate primùm inuentam, & à Zenone postea excultam & perpurgatam iactari vulgò solent, abundanter & copiosè responderim: ratio nulla est, eadem hic odiosè inculcare, teq; iam velut accinctum & ad legendum fortassis properantem diutiùs demorari. Illud tantùm admonendus mihi videris, me conatum esse Stoicorum rationem & disciplinam Stoico scribendi more explicare. Mos autem ille postulabat, vt de limanda ac polienda oratione parùm solicitus, verbis, quod vellem, complecterer, & planè ac latinè, quod intelligi abs quiuis possit, edicerem. Minùs indulserunt Eloquentiæ Stoici veteres (si Fabio fides) sed cùm honesta suaserunt, tùm in colligendo probandoq; plurimum valuerunt: rebus tamen magis, quàm (id quod sanè non quæsiuerunt) oratione magnifici.

neque tamen nego, si quid se mihi obtulit οὐκ ἄμουσον, ἀλλὰ τῆς ἐν τῷ Ἑλικῶνι μελέτης ἄξιον, maluisse me iis vti, quæ se ingenuó & naturali quodam, non fucato nitore mihi commendarent, quàm barbaro, incondito & inquinato genere verborum cùm mihi ipsi quodammodo obstrepere, tum elegantes hominum politiorum aures perstringere odioq; sauciare. Exquisitam tamen elegantiam & orationis pigmenta ac calamistros vsq; eò non accersiui, neque consectatus sum, vt me nemo non sapientissimis viris dicto audientem possit agnoscere: quorum principis Socratis hæc apud Platonem in Thæeteto, exstat sententia: Τὸ δ' εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων, καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὰ μὲν πολλὰ οὐκ ἀγεννές, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον ἀνελεύθερον· ἔστι δὲ ὅτε ἀναγκαῖον. hoc est: *Nominum verborumq; facilitas sine accurrata nimis diligentia, sapiùs minimè sordida est (sed eius potiùs contrarium) nonnumquam verò etiam necessaria.* His consentanea sunt, quæ apud Clementem Alexandrinum cũ aliis locis, tum primo Stromatum legimus:

Meum

Meum (inquit) *probabile est, vt existimo, institutum, rationi congruenter viuere, ea autem, quæ significantur intelligere: eloquentiam verò numquam consectantem contentum esse, si significetur id, quod intelligitur, quo autem nomine significetur id, quod volo expromere, nihil mihi cura est.* Et similiter libro secundo: *Oportet eum, qui curam gerit veritatis, non insidiosè captoq; consilio ac cura adhibita dictionem componere, sed conari tantùm id, quod vult, quomodo potest, exponere. Eos enim, qui herent in vocabulis, & in iis sunt occupati, res ipsæ effugiunt.* Seneca in eamdem sententiam: In studiis, inquit, puto me hercle melius esse res ipsas intueri, & harum caussa loqui: ceterùm verba rebus permittere, vt quæ duxerint, hac inelaborata sequatur oratio. Nimis anxium esse te circa verba & compositionem nolo: habes maiora, quæ cures: quære, quid scribas, non quemadmodum. Cuiuscumq; orationem videris solicitam & politam, scito animum quoq; non minùs esse pusillis occupatum. Magnus ille remissius loquitur & securiùs. quæcumque dicit, plus habent fiduciæ,

 quàm

quàm curæ. Omne denique (vt Ciceronis ipsius auctoritate vtar, & breui præcidam) quod de re bona dilucidè dicitur, præclarè dici videtur: istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est: planè autem & perspicuè expedire posse, docti & intelligentis viri.

Deinde autem & illud Stoicorum exemplo feci, quòd pleraque alienis, quàm meis verbis exprimere malui, veterumque ἐκλογὰς siue laudabilia loca ad centonem consuendum adhibui, eaque adeò re totum nostrum de recta iuuentutis institutione volumen SATYRICON inscriptum est: quem indicem ne per ambigui nominis occasionem maleuoli (quorum magna passim est natio, quamquam ea conturbari nostrum non est) in inuidiam rapere possint, quid SATYRAM vocarint veteres, breuiter explanandum est. Festus itaque Pompeius sic in fragmento scribit: ***Satyra & cibi genus ex variis rebus conditum est, & lex multis aliis legibus conferta:***

ferta: quibus verbis adiicitur à Paulo: *& genus carminis, vbi de multis rebus disputatur.* Diomedes autem doctissimus grammaticus (vt quidem in Scidis veteribus apud eum inueni: vulgò enim mendis omnia sunt deformata) in hunc maximè modum vim & originem vocis ostendit: *Satura* est carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, & ad carpenda hominum vitia Archaeę Comoediæ charactere compositum: olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satura vocabatur. Satura autem dicta, siue à Saturis, quod similiter in hoc carmine, ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut à Saturis proferuntur & fiunt: siue à Satura lance, quæ referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos Diis inferebatur, & à copia & saturitate rei, Satura vocabatur: siue à quodam genere farciminis, quòd multis rebus refertum, Saturam Varro vocitat. Est autem hoc positum in secundo libro Plautinarum quæstionum: Satura est, vbi (lege: vua) passa, & poléta, & nuclei pini ex mulso consparso:

ad hæc alii addunt & de malo punico grana. Alii autem dictam putant à lege Satura, quæ vno rogatu multa simul comprehendat, quod scilicet & Satyræ carmine multa simul poemata comprehenduntur. *Hæc ille*: qui quamquam de origine vocis certò non statuit, hoc tamen satis docet, Saturam, cùm cibus est, significationem eius habere, quod ex variis obsoniis conditum & confusum sit, cuiusmodi est illa hodie Hispanorum *Olla putrida:* cùm verò opus scriptoris notat: esse quid varium ac mixtum, & rebus quà iocosis, quà seriis, oratione autem modò soluta, aliàs numeris cuiusquemodi illigata constans: in quá sententiam Quinctilianus quoq; de Satyris Mænippeis Varronis scribit: *Alterũ illud est & prius Satyræ genus, q̄ non sola carminũ varietate mistũ condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus.* In eo autem Diomedem, Festum, Isidorum, Glossarum Latinogræcarum auctorem, Brissonium aliosq; recentiores falli puto, quòd *Legem*, quæ *Satyra* vocata fuerit, apud veteres vl-

lam

am fuisse credunt: cùm ex iis, quos laudant, auctorum locis, nihil satis firmi, cur id sibi persuaserint, afferri queat. Dicunt enim, *Per Saturam imperium dare, abrogare, vel derogare: per Saturam*, vel, *quasi per Satyram, sententias exquirere*: quæ, si qua lex esset Satura, subabsurdè & ineruditè dicerentur. *Per Saturam* itaq; vel *quasi per Saturam* aliquid facere, idem valet, quod confusè, perturbatè, nullo ordine & distinctione. Ita Pescennius Festus, teste Lactantio, suos historiarum libros per Saturam inscripsit, quòd in eos varias diuersarum gentium & ætatum historias nulla ordinis temporumue ratione habita congessisset: Firmat hanc interpretationem Iustinianus Imp. qui in præfatione sua in Pandectas sic scribit: *Hoc opus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim & quasi per Saturam collectum, & vtile cum inutilibus mistum.* Et Charisius Grammaticus: libro II. *Aduerbium*, inquit, *Stoici πανδέκτην vocant: nam omnia in se capit, quasi collata per Saturam, concessa sibi rerum varia potestate.* Cùm ergo Saturam tale aliquid esse

constet, rectè SATYRICON appellatur opus, in quo quasi per Satyram varia argumenta vario ac multiplici stili genere pertractantur, cuiusmodi sunt Petronii Arbitri, Marciani Capellæ, & Boethii de consolatione Philosophiæ libelli: rectè nos quoq; libro nostro de recta iuuentutis institutione eamdem inscriptionem fecimus ob multiplicem illam, quam habet, rerum pariter, & sententiarum ab optimo quoq; scriptorum veterum adscitarum varietatẽ. Quamquã autẽ plerisq; nouũ hoc scribendi genus videtur; idq; à se velut inuentũ videri cupit vir doctissimus, qui superest adhuc, & exornat ætatis nostræ gloriã: nihil tamen est, cur vecentiorum potiùs, quã illorum, quorũ & tuta & probabilis est imitatio, id est, veterũ exemplo, scribendi illum morem adamasse videar. Idem enim Plutarchus fecit, quod iam vulgò quoque notum est; idem Clemens Alexandrinus, cui ob hoc ipsum Stromatei factum est nomen; idem Athenæus, non nauci homo, nisi ei conseruata tot veterum scriptorum fragmenta, gratiam Philologorum conciliassent.

it. Ex Stoicis quoq; Chrysippum hoc
ello scribendi genere in primis vti so-
n,& testis est Laertius, & fragmenta e-
quæ apud Athenæum exstant, lo-
ntur: ex eadem hæresi Dionysium
osophum tradit Cicero multos solere
ioni versus admiscere, sed ea quasi di-
ı nullo dilectu, nulla elegantia. Nec
præterit, multis non placere, vt ad testi-
nii dictionem, vbi de philosophia est
utatio, Poetæ adsciscantur, (Poeticis
n testimoniis, inquiunt apud Sextum
piricum Epicurei, non qui germanè &
ere Philosophantur, cùm eorum oratio
ersuadendum sufficiat, sed q vulgò fu-
ı faciunt vtuntur) quorum sententiæ
re apud Platonem Socrates videtur,
sic differit: *Videtur mihi disputatio de*
poeticis similis esse conuiuiis imperito-
plebeiorumq; hominum, qui cùm propter
tiam nequeant inter se propria voce suisq;
onibus ipsi colloqui, mercede tibicines con-
nt, & aliena voce, hoc est, tibiarum fla-
uiuium transigunt. Vbi autem boni præ-
i & eruditi conuiua conueniunt. neq; tibi-
cines

cines ibi, neq; saltatrices, neq; cantatrices vllas videas, sed voce propria remotis iis nugis iocisque conuiuium celebrare, & alternis interrogationibus responsionibusq; modestè differere, etiamsi vinum affatim bibant: eodem modo ad disputationes huiuscemodi, si viri conueniunt tales, haudquaquam aliena voce poetarumq; verbis opus est, quos per contari de his, quæ scribunt, non datur: & qui eorum testimonia in medium afferunt, alii hoc, alii aliud poetam dicunt sentire, neq; tamen conuincere aut expedire rem possunt, de qua differunt. Tales ergo confabulationes viri sapientes mittunt, ipsiq; inter se colloquuntur, vicissimq; ingenii periculum inter se faciunt. Verùm enim si quis considerare diligentiùs & rem ipsam putare velit, de *Dogmatum* seu *Decretorum* confirmatione loqui Socratem facilè perspiciet, quibus qui poetarum versibus fidē & auctoritatem & firmamentum adiungere conetur, nostro quoq; iudicio ridiculè fecerit: *Præceptorum* verò philosophicorū (quæ quantum à Decretis differant, hoc ipso libro demonstrauimus) haud paullò

alia

ſtratio. Vt enim omittam, quòd, velut
ſſimè ab Euripide dictum eſt:

— Λόγος ἐκτ' ἀδοξούντων ἰὼν
κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.
—ab obſcuris & à celebribus
lem profectus ſermo non idem valet:

tum ponderis habent præcepta car-
intexta, & affectus noſtros velut edi-
coercent & obligant. Nam, vt dicebat
anthes, quemadmodum Spiritus no-
s clariorem ſonum reddit, cùm il-
tuba per longi canalis anguſtias tra-
, patentiore nouiſſimè exitu effudit:
nſus noſtros clariores carminis arta
ſſitas efficit. Eadem negligentiùs audi-
r, minusq; percutiunt, quamdiu ſolu-
atione dicuntur. Vbi acceſſere nume-
egregium ſenſum adſtrinxere certi
s, eadem illa ſententia velut lacerto
ſſa torquetur. Sententiis itaq; poeta-
(ait Fabius) non orationes modò
refertæ, ſed libri etiam Philoſophorũ:
uamquam inferiora omnia præceptis
c literis credunt, repetere tamen au-
tatem à plurimis verſibus non faſtidi-
erunt.

erunt. Sed fortaſſis nullus iam huius rei auctor nobis requirendus fuerit, cùm non Philoſophos modò Platonem, Ariſtotelem, Chryſippum, Plutarchum, alios, ſed ipſum etiam doctorem gentium Apoſtolum Paullum poetas ad teſtimonium citare nequaquam dubitaſſe videamus: quem tradit Lucas Euangeliſta Athenis cum Stoicis diſputantem Arati verba oppugnandę idololatrię accommodata laudaſſe. Idem Corinthiis ſcribens hunc Menandri ſenarium adhibet: Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί. *Colloquia mores praua corrumpunt bonos.* Et epiſtola ad Titum ſic Epimenidis poetæ Cretenſis commeminit:

Dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Teſtimonium hoc verũ eſt. *Vides* (ait Clemens Alexandrinus) *quam etiam Græcorum prophetis aliquid Veritatis tribuat Apoſtolus, neq; dum alienæ ſaluti adiumento ſit, poetarum verſus ad diſputandum adhibere vereatur?*

PHILIPPI RVBENII

EPOS

AD V. CL.

ASP. SCIOPPIVM

TRICIVM ROMANVM ET
VITEM S. PETRI, PHILOSO-
PHIÆ STOICÆ INSTAVRA-
TOREM.

Vis nouus hic menti calor incidit? unde repẽtè
Nostra Aganippaeo feriuntur pectora thyrso,
uasi protelo stimulantur carmine carmen?
mihi magna venit, te compellare lubido
le SCIOPPIADE: *tua inerrans corde animoq́;*
Virtus & Vita modos miranda per omnes
finit Harpocratem eſse dehinc me: quaeq́; vale-
nti vocis laxaſse repagula Lydo, *(bant*
a mi blaesam soluunt praeconia linguam.
) nimium dilecte Deo, cui riuus ab astris
agnarum manauit opum! cui plurimus imber
reus egregium sub pectus templaq́; mentis
ato caeli de fornice praecipitauit!
tans ingenium; sed & acris iudicii vis
ius a falso tibi quo dignoscere verum,
im perpendiculo aut exploratore lapillo.
ens memor atq́; tenax, & nescia fallere herile

Depo-

Depositum, quâ vel Cyneæ vel Munychiorum
Vindici, Achæmenióue queas certasse tyranno.
Quid fandi torrens & gratia? quale fuisse
Regis credibile est Ithacesl ninguida dicta,
Deductam Atreidæ breuitatem, Nestoreum mel.
His qualem rerum variarum, Diuq; Deæq;
Exiguo cumulum superaddis tempore! qualem
Ad summam tendis! Neq; enim tam diuitis agri
Fœcundum longa requiete ingraminat æquor;
Sed simul ac ferri patiens, & sollicitari
Cœpit inexpertis & credita semina sulcis,
Vnde breui densâ pulcrè caneret aristâ.
Protinus ætatis primo sub vere Deorum
Afflatu (nec enim Diis missa absentibus ista
Mens tibi) bullatis præuertens seria nugis
Musæi aggrederis spatium decurrere Circi.
Nec male florem animi castrorum sæuâ in arenâ
Perdere amas, duriq; renutas mœnia Martis;
Quò tamen & priscus patriæ mos, & genitoris
Alta paludati digitum intendebat imago.
At verò simul ac tantæ dulcedinis in cor
Stillauit gutta, & gustata est mellea lotos,
Nil contra earum, nec Hiantææ Aganippes
Dulcius est Nymphis, semperq; his dedita seruit
Mens animi, immissis & habenis deproperantem
Sistere nulla potis remora, ac nullum sufflamen:
Non flectens ætatula, & illecebrosa Voluptas,
Quæ dulcè in fraudem dum ridet, & omni parentis
Blandimenta adhibet Naturæ in deuia sæpe
Rectâ de regione receditur, ipsaq; Virtus
Languidulis sopita parùm conniuet ocellis:

Non

vana ambitio & cretati fucus honoris:
lenocinium & pellacia splendidulæ Aulæ,
pulcram veluti Schenëida fulgor ab auro,
suâ humani præstinguit lumina cordis.
adeò ætatis soluens nodumq; moramq;,
dum vesticipes annos egressus, in altum.
teberis, documenq; artis dare fortiter audes.
id agis, iuuenis? non horrida flabra Aquilonũ,
subit ira Noti, non naufragi furor Austri?
ne vides, atris vt inhorreat vnda tenebris?
m decimus tumeat fluctus, qualesq; minentur,
, Scopuli? quàm multa natet diffracta carina?
e, ne quæso, hoc permiseris in mare magnum.
referor? tua iam puppis de gurgite vasto
ducta in tutum recubat puluinar, in actâ
q; LVBENS MERITO soluisti vota mari-
nis.

diam neq; habet præluſtris adorea magni
onidæ, vada salsa citis qui verrere tonsis
nuit princeps, Athamantæiq; potitus
tis exuuijs à finibus Ææteis
à in Thessaliam potuit dare lintea terram.
tibi malueris maioribus abdita regna,
apparentem & lustratum classibus orbem,
polus est diuersus, & altera quà micat Arctos,
s vbi Pactolus, & auro tarda fluenta,
pretiosa iuga, Hesperii quæ more draconis,
a fides, vigilum seruat custodia gryphum.
ilis enim tibi tum patefacta est ianua famæ?
e strophia Aonides, triplex quæ Gratia serta,
nus certatim qualem infudere procellam.

 Qua

Quæ per vbiq; Deas gaudet stipare caterua?
Sic belli fulmen, Carthaginis vnicus horror
Scipiades, meritis Annali lege remissâ,
Ante diem fertur supremos aptus honores.
Sic flos ille virûm, MAGNO cui nominitari
Res actæ dederunt auctaq; ab Equestribus, ante
Quàm solitum pressisset ebur Latiamq; curulem,
Conscendit niueis Capitolia celsa quadrigis.
Iam prope contigeras suprema candida calcis
Tantumq; abstuleras primæuo flore fauorem
Ac plausum, quantum paucorum docta senectus;
Nec tamen abiunxisse cupis: (quid iuge quiescit
Ingenii flumen? quid cœlestissimus ignis
Torpeat, ac diæ decerptus spiritus auræ?)
Successus vrgere placet, & eo magis acrem
Exstimulas virtutem animi, vt præstante labore
Insatiabiliter nitatur, vt abnuat omne
Iustitium pausamq; operis: non auocet hilum
Saturnalitii passiua licentia festi,
Non ludi, non magnificâ spectacula pompâ,
Quæ virtus rigidi non aspernata Catonis.
Corporis ipsa etiam (nostis, post scænia vitæ
Qui mecum inspexistis, & interior quibus vsus)
Corporis ipsa, inquam, vix intercedere cura
Eualet, & longinquum interpellare tenorem.
Quin adeò mentis capiunt te pabula dia,
Absq; foret puero, certam qui nuntiat horam,
Sæpe vel vt numero fugerent te tempora cœnæ,
Cœnæ. Nam veterum ritu vix prandia nosti.
Nec pollucibilis verò hæc aut Pontificalis;

Sed

modica & frugi; sed prisco qualis in auo
-itij fuerat senis, aut Samij Lucumonis:
: Naturaï dimenso largiter, at non
nio fortaße gulæ satis & gumiarum.
d? quod nocturnæ mulcedo blanda quietis
indefeßo tibi te furetur, & ægrè
iq; victa breui condatur pupula somno?
!e intempestâ, dum quisq; onus omne reponit
q; diurnorum suspendit pensa laborum,
n simul alituum genus, & fera secla animantū
ecus omne tacet, dum sylua & florea rura,
q; littoribus maria acclinata quiescunt;
s somni exsors tu Pallados & doctarum
ßabiliter sacris operare Sororum,
munesq; aliquid proporrò pangis in vsus.
nc, priscorum qui sola cacumina Graium
irare & seclis modò cognita nomina adoras:
ne SCIOPPIADES *exemplum vincit, & omnes*
neadas minuunt iam suspicere atq; Cleanthas.
lla tamen labes (quis credat?) tetricitatis,
itis & adducta nubecula; læta sed oris
etas, multusq; lepos sermonis, vt ipse
itus Cicero frigeret, vt omnibus omnes
ripuisse vnus videare sales Veneresq;.
n & amicorum si quisquam interuenit, omnes
ii numeros exples, vt comior alter
it temerè quisquam: tum, si quos fortè vocasti,
derecurarum posito, Phœboq; leuatus)
gus es, & lautus, & mensâ commodus vnctâ,
q; quam volitant Iocus atq; Lubentia circum.
patrocinium si res videatur amici

Vndiq; quam volitant Iocus atq; Lubentia circum.
At patrocinium si res videatur amici
Poscere opemq; tuam, nihil hoc tibi pensius: hic tum
Sese ita viuida vis, atq; insitus exserit ardor,
Vt quisq; in manibus te eductum iuret Agon I
Et ferè procedant Euentu cœpta fauente.
Adiuuat hoc animi robur, quod munere Diuûm
Naturaq; datum tibi sponte immania sumsit
Augmina preceptis Sophiæ: quod turbine nullo
Excutiat Dea cæca tibi: quo tutior armis
Quàm Cyclopum Heros Nereïus, Ægide Perseus,
Terriculas caßas personatosq; timores
Humanæ rides vitæ, inclinataq; cuncta
Atq; in præcipitem spectes nutantia casum,
Intrepidus, steterisq; super titubantia firmus.
Vnde ea libertas, occultos promere sensus
Non timida, atq; aures odioso radere vero,
Poscere si quando res visa ac publicus vsus.
Nam certè, vt cunctis genitus, communibus ardes
Vsibus impendi, non sequius atq; Vesæui
Æstuat, Ætnæi vel verticis altus hiatus.
Atq; inde in patriam pietas miranda, tribules
Inq; tuos, quorum ingenti percußus amore
Viribus ex summis eniteris atq; ope summâ,
Dispersi variè & palantes vera viaï
Endogredi rursum vt poßint itinerq; salutis.
O magnum pietatis opus! quæ pondere tanto
Sufficiat ceruix, quæ tempora mille coronis?
Si pulcrum, si laudis apex & gloria summa
Hostilis ciuem subdûxe à limine leti
Et seruaße vnum, quid mille? quid innumerales?

Cetera

era quid pandam miracula? quid doctrinæ
Cultiplicem palmam, laudem laude accumulando?
i equidem incassum hîc operam consumere multam
animus. satin' ipsa palàm res vociferatur,
iq; exstant passim diuini pectoris orsa?
uidem cedro dignissima, seu tibi Phœbus
Phœbi comes hæc præscripsit callida Musa.
n siue abstrictâ metrorum lege soluta,
iis seu vincta modis, quo tincta lepore
nia, quàm nullo sermonis egentia cultu?
cum sit vario gemmarum lumine pictus,
sibus & crebro vibrantibus, vt stricturis
t expurgati segmentis splendeat auri,
iuum præfert tamen ingenuumq; nitorem.
xâ nec mole fluit, nec turget inani;
uasi neruorum validis compagibus hærens
rgitq; toris, & plenos emicat artus.
mate sublustri quàm doctè prisca reperta
eteres ritus & facta illustria adumbras!
m sollers vastas librorum implere lacunas,
t deplere, iterum vt pateant ac peruia fiant,
uio longi quæ temporis oblimarat!
ratrici perplexos soluere griphos
ente catus, quibus indubitet Cumæa Sacerdos,
eat Etruscus vel Commagenus haruspex!
d? cùm Socraticæ rationis operta reuelas,
Chrysippæis animosè accingeris armis,
agnificisq; edens Virtutis libera regna
elebras scriptis, cuinam stat tantus in alto

Corde silex, solidoq; rigent sic pectora ferro
Vt non illi animus tenerascat, nudaq; Diua
Forma subingrediens illum ignibus vrat honestis?
Quid? cùm sacra iuuat te Musa atq; enthea scri-
pta,
Bellandiq; animo sacer impetus insinuauit,
Quis conferre gradum, quis colluctarier ausit,
Vt non ille manum dedat, non ocyùs Error,
Et praue fugiant timefactæ Relligiones?
Ad summam, tua quis monumenta æterna reuoluit
Quin & inaccessum nil quicquam conquefragosum
Esse tibi videat, celeris teq; omnia mentis
Pernicisse acie, terras vt frugiferentes
Inferaq; hæc iaculis radiantibus auricomus Sol?
Et tamen (ô velox nimium pennataq; Virtus!)
Nondum vita sibi ter denos circuit orbes.
Macte ô iudicii, macte, ô TER MAXIME CLE-
MENS,
Omnibus & factis, & vitæ quolibet actu,
Non minimam at partem, quoniam decus hoc Mu-
sarum,
Delicium hoc Phœbi, atq; almæ Virtutis alumnum
Non sinis abduci quoquam; sed lene vadatum
Iucundaq; tenes vinclum porrò usq; catenâ.
Tuq; olim cunctis quæ gentibus imperitasti,
Cui diuæ decretus honos, cui prisca dicauit
Templa ætas, arisq; adoleuit mascula tura;
Nunc Templum ipsa, suam quo sedem fixit in æuũ
Relligio, auspicium vnde petunt quicunq; relati
Illius in numeros, macte esto hoc ciue, minorem
Quo se submissis gessisset fascibus ingens

Ille

Ille Sabinorum de finibus aduena Clausus:
Qui multis melior rebus, quàm Tusculus ille
Mamilius, titulo quem ciuis munificasti
Nauatam propter operam fortem atq; fidelem.
Ad te sed redeo, tu limes carminis esto:
O mihi dilectum salue caput, ô mihi fibrâ
Pectoris arcanâ penitisq; inserte medullis!
Seu postliminio me ætas voluenda reducet;
Siue; sed infaustæ præstabit parcere voci.
Quicquid erit, suauis tibi fœdus amicitiaï,
Quod Iouis ad Philii & Fidei concepimus aras,
Indelibatum seruabimus, æternumq;
Per caput hoc iuro, cariq; per ossa parentis)
Funditus in nostris qui visceribus latet ignis
Æterno viuet nutritus fomite, & vsq;
Æmulus ætheriis procudens ignibus ignem.
Vnum oro, tenuem nostram ne despice Musam.
Obsequio qui peccat, idem prope non peccanti
Et facit, veniamq; pius meritò inuenit error.

Faciebam Louanii in ædibus viri clarissimi tuiq; amantissimi Iusti Lipsii.

HYPOTYPOSIS

SEV

Adumbratio Elementorum Philoſophiæ Stoicæ Moralis.

In hoc libello continetur

- *Protheoria ſeu præparatio quædam, in qua accuſantur*
  - *Parentes, qui parum ſunt ſolliciti, vt præceptores inueniant liberis, à quibus mores vel Virtutem diſcant.*
  - *Præceptores, qui Moralem & Ciuilem Philoſophiam, tamquam non eſſent partes Philoſophiæ, prorſus negligunt.*

- *Tractatio ipsa quæ monstrat*
  - *Auctores, ex quibus petenda Moralis Philosophia.*
  - *Docendi modum, in declaratione partium Philosophiæ Moralis.*
  - *Necessitatem & vsum partium.*
- *Conclusio, qua respondetur Stoicorum aduersariis*
  - *Aulicis*
  - *Peripateticis.*

PRO-

PROTHEORIÆ

PARS I.

In hac parentes accuſo, quibus non magnæ curæ eſt, vt liberi eorum rectè in moribus inſtituantur, Huius erroris. 1. cauſſam aperio & tollo. 2. remedium monſtro. 3. excuſationem parentum confuto.

CAP. LXX.

I. Cauſſa erroris, quod putant Virtutem doceri non poſſe, cùm à Deo bona omnia proficiſcantur, vel ſi à nobis acquiri Virtus queat, ſufficere naturam ſiue ingenium, vel Encyclopædiam ſiue artes liberales, vel Philoſophorum lectiones publicas, vel ætatem, qua paullàtim progreſſi Virtutem diſcamus. Probo igitur. 1. Virtutem doceri poſſe.

CAP. CXXI.

2. Hominis naturam partim diuinum requirere auxilium, partim eſſe ſui conſilii.

3. Na-

3. Naturam siue ingenium adeò non

3. Naturam siue ingenium adeò non sufficere, vt ferè quo quisque præstantiori est ingenio, peior euadat sine disciplina.

CAP. LXXII.

4. Artes liberales nocere potiùs, quàm prodesse sine disciplina, sed cùm disciplina esse vtiles.

CAP. LXXIII.

II. Remedium consistit in Adsuefactione & Doctrina. Vbi dubitationem propono, vtra sit priore loco adhibenda. Ratio dubitandi consistit in laudibus Philosophiæ, quæ animi medicina dicitur, vt ab ea potius initium videatur faciendum.

Ratio decidendi: priùs quidem Adsuefactione, vt censet Aristoteles, sed potiùs tamen Doctrina ad Virtutem perueniri.

CAP. LXXIV.

Contra quam censet Aristoteles, cuius Philosophia tota mollis est & effeminata & sine Stoica Philosophia parum prodest.

CAP.

CAP. LXXV.

III. Excusationi parentum regero, rem hanc longè maximi esse momenti, ac propterea non debere eos illis, qui & literas & virtutem profitentur, temere credere, cùm & Sophistæ tempore Socratis idem profiterentur, & certo tamen iuuenum pestis essent.

PARS II.

CAP. LVIII.

Contra Præceptores, qui Moralem & Ciuilem Philosophiam, tamquam non essent partes Philosophię, prorsus negligunt, ostendo, Moralem à Philosophis omnium sæculorum pro nobiliore magisq; propria & necessaria Philosophiæ parte habitam: Physicen verò, vt quæ nihil ad nos pertineat, vel omninò negligendam, vel post Ethicen demum secundariò discendam esse.

TRACTATIONIS ipsius.

PARS I.

CAP.

CAP. CXVIII.

Auctores Philosophiæ Moralis duplicis generis sunt. Alii enim naturam & originem morum inuestigant, vt Aristoteles in Ethicis Nicomachiis: alii mores corrigunt, ordinant melioresq; faciunt, cuiusmodi sunt Socratici & profecti ab iis STOICI: quos tamen ostendo non solos proponendos aut sequendos esse, quin ex omnibus promiscuè tàm sacris, quàm profanis libris, quibuscumq; moribus emendandis vsui esse possunt, methodo tamen STOICA excerpantur & digerantur.

PARS II.

CAP. CXIX.

Modus docendæ philosophiæ STOICÆ Moralis ostenditur declaratione partium. Partes autem Stoicæ illius Philosophiæ sunt Decreta & Pręcepta id quod ex subiecto diagrammate videre est.

☞ Dia-

PARS III.

CAP. CLIII.

Ne-

Necessitas & vsus partium Philosophię Stoicæ docetur. 1. argumentis quinq; pro Decretis & Sex pro Præceptis. 2. ex effectu, quod Senecam scilicet etiam adulescentulum ad asperrimum ac durissimum vitæ genus allicere potuerint.

CONCLVSIONIS.

PARS I.

Aulicis & Palatinis STOICOS vt homines immundos, odiosos, pugnaces & ab omni humanitatis vsu alienos auersantibus, ex ipsorum STOICORVM præceptis ostendo STOICORVM Sapientem esse munditiæ etiam in vestitu & cultu studiosum, os lauare, dentes fricare, speculum consulere, libris & studiis, cum res postulat, æquo animo abstinere, in hominum turbam se dare, Aulas frequentare, magnates colere, fidibus canere, saltare, salibus ac facetiis orationem condire, conuiuia agitare & perpotare quoq;, non pugnaciter aliis contradicere, sed comiter eorum, quibuscum agit, studiis & voluntatibus obsequi.

PARS

Peripatetici duo potissimum contra hanc philosophandi rationem opponunt; vnum, mores Stoicorum multum à propriis eorum præceptis dissidere solitos fuisse alterum, inter decreta eorum flagitiosos & turpes quosdam errores reperiri. Respondeo ego priori crimini, neque satis firmi quicquam esse, cur doctrina propter eorum, qui docent, improbitatem damnari debeat, & non defuisse ex Stoicis, quorum mores vel apud iniquissimos censores hanc sectæ suæ inuidiam facilè detestari vel deprecari potuerint, cuiusmodi fuerunt Epictetus & Seneca: Posteriori verò, non quęcumque Stoicus quispiam scripserit, continuò STOICA esse, nisi & cum recta ratione congruant, & à Christiana, cui subseruire debent, philosophia admittantur.

ELE-

ELEMENTA
PHILOSOPHIÆ STOICÆ MORALIS.

QVoniam nihil omnium rerum eſt diſciplina & recta liberorum inſtitutione melius ac prȩſtabilius, nihilq;, vt in Theage auctor eſt Plato, habet homo diuinius, de quo conſultare poſsit, quàm de ſui ac ſuorum eruditione, nec vlla res majorem à nobis, ſi tamen rationis compotes, nec prorſus inſaniſimus, accurationem diligentiamque requirit, quàm vt eos, qui ex nobis nati ſunt, quàm optimos reddamus: nequaquam nobis intelligentes & æquos rerum æſtimatores vitio daturos exiſtimauimus, ſi boni communis ſtudio, cui totos nos religioſè addiximus, hac quoque de re paullò diligentiùs inquireremus, ſententiamque noſtram literis conſignatam in medium porrò venire pateremur. Hoc igitur conſilio de recta juuentutis inſtitutione juſtum volumen perfecimus, & SATYRICON non ob Archilochium illud & dentatum ſcribendi genus conuiciique exercitationem, quod non nemo interiorum literarum imperitior ſuſpicari poſſet, ſed ob ſummam rerum & ſententiarũ ab optimo quoq; veterum Philoſophorum, Poetarum

& oratorum petitarum & velut per SATVRAM comportatarum varietatem inscripsimus. Verùm quoniam ab iis curis & occupationibus, quæ nobis neque paucæ neque leues ex transuerso inciderunt, tam citò nos, quàm voluissemus, expedire non potuimus, edendi libri illius consilium differre quotidie ac procrastinare inuiti oppido ac dolentes coacti sumus. Ex quo factum est, vt non parum multi in nescio cujus timiditatis suspicionem vocare nos ausi fuerint, tamquam summam illorum, qui hodie scholarum potiuntur & quamdam velut sapientię officinam instituerunt, potentiam dominationemque reueritos, & offensionem eorundem, ex hoc scriptionis genere excipere dubitantes animi angustiæ à proposito susceptoque semel consilio deterruerint, calamumque confusis nobis & timore obstupefactis de manu velut excusserint. His igitur vt errorem illum eripiam, ac re ipsa comprobem, quàm me prorsùs ignorent illi, qui putant non ausurum me, quod non putant: Simul etiam vt viris doctis specimen aliquod & tamquam gustum, ex quo de toto nostro opere statuere ac judicare possint, exhibeam, pauca hæc capita, quibus de Philosophia MORALI secundum Stoicorum rationem in scholas posthac inducenda bonis magistris auctor esse, digitumque eam ad rem commode perficiendam intendere conatus sum, ex SATYRICO delibata bono

inte-

interim publico debere non potui. Cur autem hanc potissimùm partem delegerim, quam hoc tempore, tamquam in antecessum diuulgarem; nemò non facilè ex iis, quæ mox de istius Philosophiæ Moralis dignitate & necessitate à me dicentur, intelliget. porrò priusquam progredior & ad ipsa Stoica Philisophiæ Elementa accedo, nihil neque re ipsa, neque instituto nostro alienum fecero, si ea, quæ diversis Satyrici locis tam contra parentes plerosque, quàm contra peruulgatam Præceptorum in docenda hac Philosophię parte rationem disputo, totidem verbis priùs exponam. Ac de Parentibus quidem hęc ferè sunt, quæ septuagesimo Satyrici & insequentibus quinq; capitibus Stoico more à me differuntur.

CAPVT LXX.

HOC loco committere nullo modo possum, quin de parentum plerorumque vecordia an summa in liberos suos ἀστοργίᾳ & immanitate conquerar, quibus vnum hoc ferè studium est & vna votorum summa, vt tantum in literarum studio liberi eorum proficiant, quantum ei, qui non vnus de medio censeri aut plebs esse, sed non nihil exstare & eminere, aut rem adeò facere & patrimonia conduplicare velit, sufficere ipsi credunt: vt autem viri boni artem addiscant, eaque instructi quàm integerrimè ac tranquillissimè vitam agere nouerint,

Nemo inter curas aut seria duxit habendum.

Quorum quidem error tam grauis & periculosus cùm summa Reipub. (cujus bonos potiùs, quam doctos & argutos ciues esse interest; nam

sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica)

non rarò detrimenta importet, ac plerumque cum certa ipsorum juuenum in reliqua vita peste ac pernicie conjunctus sit, meritò in hoc omnes studii & industriæ nostræ neruos contendere & elaborare debemus, vt eum si non ex animis hominum penitùs euellere & eradicare posśimus, caussa certè & origine mali inuestigata erutaq; & ante oculos ipsorum collocata, nonnihil conuellamus & labefactemus. Initium enim salutis est notitia mali: nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Videntur itaque in errorem istum, eamque omisśionem & liberorum suorum negligentiam non alia re induci, quam quod vel fieri non posse existimant, vt virtus siue ars illa, quam qui in se sitam habent, viri boni sunt, à quoquam docentur, cùm à solo Deo quicquid bene vel cogitamus vel dicimus facimusue, oriatur ac procedat, canente Pindaro:

ἀγαθοὶ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες ἐγένοντο.

Diuinitùs boni & sapientes sunt viri:

Vel si omninò doceri eam disćique posse assentiant,

tiant, ſuperuacuum tamen & inane, minùs certè neceſſarium eſſe credunt, tàm curiosè & relictis rebus idoneos ac probabiles morum doctores liberis ſuis conquirere, quos vel ſuapte natura & ingenii bonitate adjutos, vel Encyclopædiæ ſtudiis & Philoſophicis publicorum magiſtrorum lectionibus exultos, vel ætatis denique progreſſu ex aſsidua aliorum conſuetudine & conuerſatione omnia, quæ ad vitam rectè agendam requiruntur, conſecuturos eſſe penitus imbiberunt: in quibus omnibus,

Quantopere à vera lapſi ratione ferantur,

Multis & grauiſsimis argumentis probare ac docere poſſem: ſed quoniam ſeculum hoc moribus, quibus ſit novi, vt contra Romani ſophi præceptum totidem pœne verbis ex Platonis Charmide conuerſum, quo docemur, non curare quid à quo dicatur, modò verum ſit, plerique omnes jam faciant, omniaque admodum dicta (vt Saluianus ait) tanti exiſtimentur, quantus eſt ipſe, qui dixit (ſiquidem tam imbecilla ſunt judicia hujus temporis, ac pœnè tam nulla, vt hi qui legunt, non tam conſiderent, quid legant, quàm cujus legant, nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem) ſimul quia non ignoro, in vno & eodem telo reuera plurimum, qua manu torqueatur, intereſſe: ſapientiſsimorum hominum & inuidiæ exemptorum, hoc eſt, antiquorum ſcriptorum verbis per Satyram vndique colle-

ctis, falsam eorum plenamque erroris opinionem coarguere malo. Errant igitur vehementer, non leuiter, ait Cicero, qui putant nullam esse artem Virtutis: neque enim umquam boni ex malis fierent, quod tamen nonnumquam videre est. Rectè enim Stoicos hoc vsos argumento tradit Laërtius, quo probarent doceri posse virtutem, cùm nimirum boni ex malis euadant, quod reuera operosum est ac difficile, & propterea Arte, quæ vt quicque difficillimum est, ita in eo maximè, vt Aristoteles auctor est, semper occupatur, indiget. Nec enim vlla est ratio existimare, inferiores artes perfici, nisi à magistro doceantur, non posse; ciuitati autem præesse, aut animum, qui nisi paret, imperat, subigere & percellere & ad virtutis imperium nutumque componere, posse quemquam suo marte addiscere. Psallere discunt homines (ait Plutarchus libello, qui inscribitur: *Virtutem doceri posse*) & saltare, & legere literas, & agros colere, & æquitare: discunt item se calceare & vestimenta induere: docent pocula ministrare & cibos apparare. Hæc nemo facere commodè poterit, nisi didicerit: at rectè viuere (cujus caussa illa omnia fiunt) estne ejusmodi, quod doceri nequeat, & quod absque ratione & arte fortuitò contingat? Cur dum virtutem doceri non posse dicimus, ne esse quidem fatemur? Si enim ea, dum discitur, velut nascitur, qui obstat, ne discatur, illam tollit.

CAP.

CAPVT LXXI.

SED nec in eo tolerabiliùs errant, dum ea re, Virtutem doceri non posse nec debere credunt, quòd à solo Deo bona quæuis nostra cogitata, dicta ac facta premanent: quem tamen errorem tanto minoris est negotii confutare, quanto nunc omnes Christiani (de veris loquor: Hæreticos), ne Deus siuerit, ut hoc nomine umquam digner) ab eodem sunt alieniores. Non est autem consilii mei vel Sacrarum loca Scripturarum, quæ plurima sunt & maximè illustria, vel ea, quæ Theologi nostri ad primam secundæ partis D. Thomæ quæst. CIX. acutissimè disputant, in medium huc afferre (nam neque id meliùs fecero, quàm multi summi viri, quorum ingenia hæc disputatio præter ceteras nunc exercet, neque si possim, valdè hoc tamen loco huic conueniat) illud tantùm dixisse satis sit, omnibus paullò sinceriùs Philosophatis in hoc conuenisse, quod tametsi Deus, vt Hesiodus ait,

Virtutem posuit nobis sudore parandam,

non eo tamen loco eam collocauit, vbi adiri à nobis nequeat, atque adeò vt rectam ingrediamur, quæ istuc ducit, viam, suo etiam auxilio & gratia nos anteuertere & præuenire solet. Vnde minùs malè, quàm hodierni hæretici, Euryphamus Pythagoræus: Hominis, inquit, natura partim sui est consilii, partim etiam

diuinum requirit auxilium. Et Epictetus apud Arrianum sic ei, qui ad Virtutem animo affectat viam, præcipit: DEI memento, illum adjutorem aduocato & commilitonem, vt Castorem & Pollucem, qui in tempestate nauigant. Qui sic tamen omni arbitrii libertate voluntatem spoliaret, vt iidem faciunt Hæretici, ex sapientibus nemo est repertus. Sciebat enim legem hanc ab alto datam esse, vt qui velit, eligat virtutem. Iam quòd neque natura & ingenii bonitas verè bonum artisque viuendi gnarum efficiat, sed Disciplina siue institutio necessariò huc requiratur, id cuiuis ex iis, quos subiiciemus, lectissimorum auctorum locis promptum ac facilè erit cognoscere. Omnium, qui eadem dicunt, mentionem vt faciam, nihil est necesse: neque enim nauem instruo piraticam, vt cum Clemente Alexandrino loquar, nam aut hoc testium satis est (vt A. Varium dicere solitum refert Cicero) aut nescio quid satis sit. Vt igitur à Pythagoræ secta incipiamus, sic censet Hippodamus Pythagoreus libro de felicitate: Homo nec bonus natura, nec beatus est, verùm disciplinam & fortunam requirit: Virtutis quidem, vt bonus: Felicitatis autem, vt beatus euadat, indigens. Plato etiam, si libris & sectatori ejus Apuleio credimus: Hominem docebat ab stirpe ipsa neque absolutè bonum, nec malum nasci, sed ad vtrumque procliue ingenium esse. Sic enim sexto de legi-

legibus apud ipſum legimus: Hominem manſuetum animal eſſe dicimus. Porrò ſi cùm natura felici rectam quoq; diſciplinam fuerit aſſecutus, diuiniſsimum & mitiſsimum animal ſolet euadere: ſi verò non ſatis aut non benè fuerit educatus, ferociſsimum omnium, quæ in terris naſcuntur, animal redditur. Clemens Alexandrinus: Non habemus, inquit, virtutem à natura, neque eam conſuetudine aliorum acquirimus, neq; arte ſiue Encyclopædia. Rurſum: Non natura, ſed diſciplina viri boni & honeſti fiunt, ſicut medici & gubernatores: diſciplina enim & educatio in dirigenda natura plurimum valet. Item: Oportet cùm natura apti ſimus ad bonum, ad id adhibere ſtudium. Anaxandrides Comicus: Ἐκ μελέτης πλείους, ἢ φύσεως ἀγαθοί. Ex cura ac ſtudio plures boni, quàm ex natura. Ariſtoteles: Neq; natura, neq; præter naturam nobis ingenerantur virtutes, ſed ſic affectis, vt ad eas ſuſcipiendas apti ſimus natura, perficiamur autem perpoliamurque more & conſuetudine. Seneca: Non dat natura virtutem, ars eſt bonũ fieri. Virtus non contingit animo, niſi inſtituto, & edocto, & ad ſummum aſsidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur: & in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus eſt. Plutarchus cùm ex Ariſtotelis ſententia (de qua & apud Laërtiũ & ipſum Ariſtotelem poſtremo ethicorum Nicomachiorum videre eſt) docuiſſet ad virtutiſ

 perfe-

perfectionem tria requiri, Naturam siue ingenium, Rationem siue doctrinam, & Adsuefactionem siue Consuetudinem vel Exercitationem: paullò post multis rationibus & exemplis demonstrat, doctrinam & exercitationem eas habere vires, vt etiam quod naturæ deest, egregiè corrigere ac compensare possint, quod idem sic magnifico Pindarus dithyrambo effert:

τὸ δὲ φυᾷ, κράτιστον ἅπαν.
πολλοὶ δὲ διδακταῖς
ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος
ὤρουσαν ἑλέσθαι

Quodcumq; naturale, multo est optimum:
Plerique sed data tamen virtutibus
Opera, ad perennem se excitarunt gloriam:

non enim de oleastro ceterisq; feris & infecundis stirpibus quàm de humanis pectoribus verius est, quod Maro noster ait, fieri posse, vt exuant

—Siluestrem animum, cultuq; frequenti
In quascumq; voces artes, haud tarda sequantur

Contrariò autem vbi natura & ingenium excellit vigetque, nisi diligentia & cultura ad concipiendam virtutem imbuatur ac præparetur, deterrimum fieri hominem oportet. Testis nobis Aristoteles: Homo à lege & iure semotus ac seiun-

seiunctus omnium est animalium deterrimum. Et Plutarchus: Nisi quis impetus animi ad voluptatem ferentes præceptis minuat aut deflectat, erit bestia, non homo. Et rursum: Qui solum sequuntur ingenium suum disciplina non excultum, magnas faciunt in vita vicissitudines & plerumque declinant ad deteriora. Nam tenacissimi sumus eorum, vt Quinctilianus ait, quæ in pueritia didicimus, maximè malorum. Et Xenophon equorum canumque exemplo comprobat, optima quæq; ingenia maximè indigere doctrina, qua nisi excolantur, pessimá & noxiosissima effici. Plato similiter optima ait ingenia, si aliter quàm benè educentur, euadere longè pessima, & vitia magna item vt virtutes à magna indole proficisci, vt in Demetrio Plutarchus scribit. Cujus rei caussa est in ipsius naturæ vi, quæ sui manet similis & quocumq; confertur atque applicatur, siue id bonum, seu malum sit, ibi apertissimè se ostendit & enitescit. quare verissimus fuit magister ille, qui ingenij magnitudine in Themistocle etiam puero considerata, dicere ei solebat: Tu nihil, fili, eris mediocre, sed omnino vel magnum lumen, vel pestis. Euenit autem illam naturæ vim & præstátiá ad deterioré partem siue vitiũ plerumq; applicari. q enim sæpè fit, in habitũ animi conuerti solet. peccamus autem frequentius in iuuentute, quòd in quaque re quid medium

sit,

ſit, in quo virtutis nõ tam habitus (ſi verum quærimus) quàm exercitatio conſiſtit, nondum didicerimus. Peccare multis modis poſſumus, ait Ariſtoteles: cùm malum, velut Pythagoræi coniectura quadam conſequebantur, ſit infiniti atq; interminati, bonum finiti & terminati. At rectè facere vno tantùmmodo licet. Itaq; etiam hoc difficile eſt, illud verò facile. à ſcopo ſcilicet aberrare facile eſt, ſcopum ferire difficile. Ob has igitur cauſſas nimium & parum ad vitium pertinent, mediocritas ad virtutem pertinet.

Vno namq; boni, cuncti modiſq; mali.

Idemque alibi repetens: Difficile, inquit, atque operoſum eſt, bonum ac virtute præditum eſſe: magni enim negotij eſt in vnaquaq; re medium conſequi; vt circuli punctum medium reperire non cuiuslibet, ſed ſcientis atq; intelligentis hominis eſt. Itemq; iraſci & pecuniam donare, & ſumptum facere, cuiuslibet hominis eſt & facile: iraſci verò, & pecuniã donare, cui, & quantum, & quo tempore, & cuius rei cauſſa, & quomodo iraſcendum ac donandum eſt, neque cuiuslibet hominis, neq; facile eſt. quæ quidem eſt cuiuſq; rei abſolutio & perfectio, eaq; rara ac laudabilis eſt: omne autem rarum ac laudabile, præclarum atq; honeſtum eſt. Rurſusque in magnis moralibus: Omninò, inquit, in quauis perturbatione videre licet, illud, quod medium ambit, eſſe facile; medium verò, vnde laudemur, difficile: ideò etiam raro probus. Quam ipſam ſen-

ten-

tentiam Xenophon, quamuis id poeticè magis, quàm philosophicè, tuetur: Plana, inquit, ad prauitatem ducit via ex Hesiodi sententia, cùm valdè propè habitet: virtuti verò sudorem proposuerunt dij: longum enim & arduum iter ad eam. Epicharmus etiam, Deos nobis omnia laboribus vendere testatur. Huc accedit, quòd cùm tam sint *fecunda culpæ sæcula*, vt magna sit pietas nihil impiè facere: rudibus adhuc & teneris rerumq; imperitis animis nostris, ferè non nisi quæ mala sunt, primum omnium se offerunt: quæ cùm & nobis se cōmendent hoc ipso, quòd priora occurrerunt (fortasse enim Theodorus tragædus non malè tale quiddam dicebat: nullum enim vmquam, ne contemptum quidem histrionem, passus est ante se in scenam prodire, quòd existimaret, spectatorum aures ijs, quæ prima sunt, captas occupari: quod idem vsu venit & in hominum congreßionibus, & in rerum tractationibus: nam quæ prima nobis oblata sunt, ea omnia sunt nobis probatißima) & cùm ignari eadem imitemur (imitari enim insitum hominibus à pueris est, & hac re differunt ipsi ab aliis animalibus, quòd homo est animal maximè accommodatum ad imitandum) fit, vt agendo naturam inducamus (imitationes enim, quę à teneris incipiunt, facilè inducunt naturam) habitumque paullatim frequenti imitatione acquiramus. Ignorare enim ex actionibus in quaq; re positis habitus gigni, hominis est sensu ferè carentis. Re-

ctè

ctè proinde Seneca: Citò, inquit, nequitia subrepit, virtus difficilis inuentu est: rectorem ducemque desiderat: etiam sine magistro vitia discuntur. Et alibi: Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse, & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non pronum iter est tantùm ad vitia, sed præceps. Quare non leuiter, vt supra dicebam, peccant, qui bonitati naturæ & ingenij, quam de pueris & adulescentibus præsumunt, nimium confisi, aut quòd etiam multa rectè & viri boni officio conuenienter fieri ab illis videant, qui disciplina nulla fuerant imbuti, de moribus eorum consuetudine & doctrina formandis parùm sibi laborandum putant. Etsi enim de quibusdam legimus, qui felicitate ingenij etiam sine subtili institutione boni euasêre: non est tamen, vt exempla paucorum idonea iudicemus, ex quibus vniuersè de omnibus existimari debeat. De pueris enim justius timetur, fore eos pluribus similes, quàm meliores. nam quod de opinione ait Plato, eos qui absque intelligentia verum opinantur, similes esse cæcis, qui rectam viam ingrediuntur: multò de ijs dixerimus rectiùs, qui sine disciplina nonnumquam, quod bonum est, faciunt: ac proinde bonæ fortunæ, vt idem Plato docet, non consilio tribui debet, si homines huiusmodi non euertant omnia. neque enim ars est, quæ ad effectum casu venit, ait Seneca; & Clemens Alexan-

xandrinus non obſcure innuit, fieri poſſe caſu, vt philoſophiam moralem non edocti benè faciāt, ſed præſtare nihilominus ipſam benefaciendi artem, quam Stoici artem artium appellabant, didiciſſe & memoria comprehenſam tenere.

Cap. LXXII.

Neqve minus tamen falli neceſſe eſt eum, qui eruditionem, quæ alio nomine Humanitas appellatur, omninoq; totam Encyclopædian, ſiue, vt vulgo loquuntur, ſeptem artes liberales, quas rectiùs Pueriles vocandas cenſet Seneca, aut ea, quæ in Philoſophiæ Cvrsv cathedrarij iſti docent Philoſophi, Phyſica ſcilicet & Metaphyſica, ad efficiendum virum bonum multum conducere, nedum ſufficere exiſtimat. Ac quoniam de Phyſicis & Metaphyſicis manifeſtius hoc eſt, quàm quòd probari debeat: nihil hic aliud mihi incumbit, niſi vt de literis ſiue Encyclopædia (has enim artes, quas ἐγκυκλίους Græci, noſtri liberales vocant) idem oſtendam. Plerique igitur omnes Philoſophi, quantum quidem diligenti eorum lectione obſeruare potui, Artes iſtas inter ea ponunt, quæ Adiaphora ſiue Indifferentia, ſiue Media vocant Stoici, hoc eſt, quæ nec bona, nec mala ſunt ſimpliciter natura ſua, qualia ſunt diuitiæ, vires, forma, honores, regnum: & contra mors, exſilium, mala vali-

valitudo, dolores, quæq; alia aut minus aut magis pertimuimus. Hęc enim in medio posita sunt, interestque vtrum malitia illis, an virtus manum admouerit, siue, vt Terentianè dicam,

Perinde sunt, vt illius animus, qui ea possidet:
Qui vt scit, ei bona: illi, q nō vtitur rectè, mala.

Bonæ igitur sunt artes istæ liberales, si ad artem vitæ siue philosophiam nos præparent, siue, vt ex Platonis sententia Clemens Alexandrinus docet, si opem ferant ad excitandam & exercēdam animam ad ea, quæ percipiuntur intelligentia. Atq; hoc est, quod Aristoteles & Chrysippus censuerunt εὐχρηστα καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα πρὸς ἀρετῆς ἀνάληψιν oportunas & vtiles esse ad virtutes adeptionem etiam liberales disciplinas, vt refert Laërtius. Malæ verò sunt eædem, si inflatos & superbos nos reddant, quod necesse est fieri, nisi optimè quis institutus fuerit, vt Epictetus apud Arrianum censet & Seneca epistola LXXXVIII. extrema. Malæ item, si nos apud se detineant & ad veram Philosophiam nō permittant accedere, quod frequenter vsu venire constat, vt rectè & vrbanè Aristippus apud Laërtium (nisi Plutarcho quis malit fidem habere in Bionem hoc conferenti) dixerit, τοὺς τῶν ἐγκυκλίων παιδευμάτων μετασχόντας, *liberalibus disciplinis imbutos*, philosophiæ autem rudes & imperitos, Penelopæ procis esse simillimos, qui & Melantho & Polydoram omnesque reliquas

ancillas potius habere, quàm dominæ ipsius nuptias sperare potuerint: quem imitatus Clemens Alexandrinus: Iam quidam, inquit, ancillarum inescati amatorijs, contempserunt dominam Philosophiam, & ex ipsis alij quidem consenuerunt in Musica, alij verò in Geometria, alij in Grammatica, plurimi autem in Rhetorica. Rectè etiam Aristo Chius Vlissi eos comparauit, qui cùm profectus ad inferos mortuos ferè omnes vidisset ac compellasset, ipsam tamen reginam inferorum videre non potuerit. Tantum igitur abest, vt virum bonum faciant Artes liberales, vt etiam, quod in ipsis est, in periculum non leue nos conjiciant. quod eleganti commento docet nos Cebetis Pinax siue Tabula, in qua inducit multos, qui cùm per sæpta Luxuriæ & ψευδοπαιδείας siue Falsæ eruditionis ad Veræ eruditionis sæptum transire, & apud Falsam eruditionem, hoc est, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Musicam, Arithmeticam, Geometriam, Astrologiam & Criticam, non diu diuertere, sed statim acceptis ab ea, vt viatico, ijs quæ vsui esse possint, progredi à Genio jussi essent, ab Opinionibus nihilominus persuasi, Veram eruditionem jam se consecutos credunt, & ita in secundo illo ψευδοπαιδείας sæpto desident, καὶ οὐδέποτε ἀπολυθήσονται, οὐδὲ ἐλλείψει αὐτοὺς κακὸν οὐδὲν ἕνεκα τούτων τῶν μα-

θημάτων & numquam inde soluentur neque vllo malo istarum ore disciplinarum, liberabuntur. Quo pacto enim, ait idem, præstarent ceteris, cùm eos de rebus bonis & malis non minus perperam sentire constet, quàm ceteros mortales, & omni ad huc vitiorum genere constrictos teneri? Nihil enim vetat nosse literas, & tenere disciplinas omnes, & æquè tamen esse ebriosum, intemperantem, auarum, iniurium, proditorem, deniqué amentem: multos certè quidem tales videre licet, quorum, vt cum Cicerone loquar, vita & mores omnem commendationem ingenij euertunt. Sed si quis Cebetis auctoritatem parum morari se dicat, neque hoc detrahi sibi patiatur, ne quid disciplinas illas ad virtutis adeptionem de suo conferre credat, ei auctor fuero, vt quemadmodum è tonstrina abituri speculo adsistere, capiteque contrectato tonsuram capillorum examinare solent, sic & ipse, quid ex tali disciplina & ex illis magistrorum publicorum scholis commodi, & ad virtutis incremẽtum subsidij retulerit, secum accuratè contempletur, animumque inspiciat, si ille molestis otiosisque aliquibus cogitationibus depositis factus sit tranquillior, si vllus animi motus disciplinæ illius opera redditus sit sedatior, si fiducia & animi altitudo confirmata, si ad virtutem & honestatem instinctus aliquis animi excitatus. Vt autem Senecæ potiùs ore loquar

(quod

(quod & sæpè & libenter facio) singulas libet circumire virtutes. Fortitudo contemptrix timendorum est, terribilia & sub jugum libertatem nostram mittentia, despicit, prouocat, frangit. Numquid ergò hanc liberalia studia corroborant? Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio: Vre, inquit, cæde, occide, non prodam; sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altiùs condam. Numquid liberalia studia his animos facere possunt? Temperantia voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias dispensat & ad sanum modum redigit, nec vmquam ad illas propter ipsas venit: scit optimum esse modum cupiditatum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere. Humanitas vetat superbum esse aduersus socios, vetat auarum: verbis, rebus, affectibus comem se facilemq; omnibus præstat: nullum alienum malum putat; bonum autem suum id maximè, quod alicui bono futurum est, amat. Numquid liberalia studia hos mores præcipiunt? non magis, quàm simplicitatem, ac modestiam, ac frugalitatem, ac parsimoniã: non magis, quàm clementiam, quę alieno sanguini tamquam suo parcit, & scit, homini non esse homine prodigè vtendum. *Sed* ipsum Senecam adire præstat, qui tota illa epistola LXXXVIII. quæstionem hanc, an liberalia studia virum bonum faciant, vberrimè exsequitur, & discussa

Grammaticæ, Poëticæ, Musicæ, Geometriæ, Arithmeticæ & Astronomiæ professione, sic tādem concludit: *Quid* ergo? nihil liberalia nobis conferunt studia? ad alia multum, ad virtutem nihil. Nam & hę viles ex professo artes, quę manu cō-stant, ad instrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergò liberalibus studijs filios erudimus? non quia Virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam Virtutem præparant. Quemadmodum prima illa, vt antiqui vocabant, literatura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat: sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. *Et postea:* Cum dicatis, inquit, sine liberalibus studijs ad virtutem non perueniri, quemadmodum negatis illa conferre Virtuti? quia nec sine cibo ad Virtutem peruenitur, cibus tamē ad Virtutem nō pertinet. Ligna nihil naui conferunt, quamuis non fiat nauis sine lignis. non est, inquam, cur aliquid putes eius adiutorio fieri, sine quo non potest fieri. Potest quidem etiam illud dici, sine liberalibus studijs veniri ad sapientiam posse. quamuis enim Virtus discenda sit, tamen non per hæc discitur. quid est autem, quare existimem non futurum sapientem eum, qui literas nescit? cùm sapientia non sit in literis. res tradit, non verba: & nescio, an certior memoria sit, quæ nullum extra se subsidium

habet.

habet. *Huic* ſententiæ etiam Cebes fauere ſe oſtendit, dum docet: nullam eſſe neceſsitatem, vt qui ad Veram eruditionem ſiue ſapientiam contendit, literas & ceteras diſciplinas (quas & Plato adoleſcentibus inſtar freni eſſe ait, ne aliis rebus diſtrahantur) à Pſeudopędia accipiat. nam commodæ illæ quidem ſunt, inquit: ſed ad hoc, vt quis melior fiat, nihil conferunt. licet enim vel ſine his fieri meliores. neque tamen inutiles ſunt etiam iſtæ. Vt enim aliquando per interpretem ea, quæ dicuntur, cognoſcimus, & tamen non incommodum fuerit, nos ipſos illius linguæ accuratiorem habere cognitionem: ſic diſciplinis illis carere nihil eſt, quod vetet. *Quam* etiam Antiſthenis ſummi philoſophi ſententiam fuiſſe video. Is enim referente Laërtio, Virtutem dicebat rerum eſſe, neque ſermonibus multis indigentem, neque diſciplinis. Quin de ipſo etiam Philoſophorum Deo Platone ſcribit & teſtatur Clemens Alexandrinus *ὥς τ' οὐδ' αὐτὸς τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν συντελεῖν πρὸς τ' ἀγαθὸν δίδωσιν, συνεργεῖν δὲ, πρὸς τὸ διεγείρειν καὶ συγγυμνάζειν πρὸς τὰ νοητὰ τὴν ψυχήν, neq; ipſe liberalem doctrinam ſiue Encyclopadian det ad bonum conferre, ſed cooperari ad excitandam & exercendam animam ad ea, quæ intelligentia percipiuntur.* Quamuis autem hæc ita ſe habeant, & inter media ſiue Indifferentia etiam Artes liberales à philoſophis numerari iam conſtet, nemo

tamen mirari debet si multum ijs ipsis artibus ac studijs tribui à nobis videat. Quis enim sapientum, nostrorum dico (inquit Seneca) quibus est vnum bonum Virtus, negat etiam hæc, quæ Indifferentia vocamus, habere in se aliquid pretij, & alia alijs esse potiora? quibusdam ex his tribuitur aliquid honoris, quibusdam multum. ne erres itaque, inter potiora Diuitiæ sunt. Sed ne erres, inter multò potiora Literæ sunt & studia ista liberalia. Horum namq; cum Virtute cognatio (vt ex Stoicorum opinione Stobæus tradit) ad vitæ finem ea perducit, sicq; in viro bono per virtutem immutantur tandem ac propria redduntur, vt instar virtutum fiant. *Quomodo* porrò institueretur quis ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcumq; sensum vel actũ, cum instrumentum sit ad omnem Vitam literatura? quomodo repudiamus sæcularia studia, sine quibus diuina non possunt? *Cauendum* porrò est, ne vel æquo diutiùs ijs immoremur, quæ sic commendari audimus (hactenus enim sunt vtilia, si præparant ingenium, non detinent: & tamdiu istis immorandum est, quam diu nihil animus agere maius potest: rudimenta sunt nostra, non opera, nec discere debemus ista, sed didicisse) vel quicquam in ijs ad Virtutem animo dandam momenti collocantes adulescentibus educationiq; eorum hoc pacto satisfactum, neque de alia aliqua disciplina, hoc est, Arte vitæ prospiciendum iudicemus.

CAP.

CAP. LXXIII.

VT autẽ de illa ipſa Arte Vitæ ſeu Diſciplina bonorum virorum effectrice nonnihil enucleatiùs diſſeramus, conſiſtit ea partim in Conſuetudine, quàm vulgò Adſuefactionẽ dicunt, partim in Doctrina. nulli enim ſunt tam feri & ſui iuris affectus, vt non diſciplina perdomentur, nihilque eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat & in familiaritatem perducat aſsidua meditatio: Vtque Horatius docet:

Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientẽ accommodet aurem.

Sed dubitari hic à nonnemine queat, vtram alteri præmittere & priore loco adhibere oporteat, Conſuetudinem an Doctrinam. Cauſſam dubitationis tam præclara Philoſophiæ encomia laudeſq; à ſapiẽtiſsimis omnium ætatum viris ipſi tributæ afferunt. Democritus enim medicinã morbis corporis, Philoſophiam verò (Moralem ſcilicet, qua Virtutis doctrina traditur) animæ perturbationibus mederi cenſuit, vt apud Clementem Alexandrinum videre eſt, quæ ipſa Hipparchi etiam Pithagorici eſt ſententia in libro de animi tranquillitate, in quo cùm multo maiora & grauiora animo, quàm corpori, accidere dixiſſet: Quicquid enim ſceleris, inquit, vitij, peccati, impietatis in hominum vita cernitur, ex animi perturbationibus

ortum ducit. Προσήκει ἄρ' ἐκνίπτονται ϗ ἀνακαθαίρονται ἀπορρύπτεσθαι πάσαις μηχαναῖς τὰς ἐγκατεσκιρρωμένας κηλίδας τῷ κατὰ φιλοσοφίαν λόγῳ: *decet igitur abluere, repurgare, modiſque omnibus detergere inueteratas maculas philoſophiæ ratione.* Et Cicero tertio & quarto Tuſculanarum diſputationum, animi medicinam philoſophiam appellat, eiuſdemque appellationis veritatem idoneis rationibus docet ac demonſtrat. Et ſecundo de Finibus Philoſophiæ nomine appellari non vult, quæ à radicibus prauitatem tollere nequeat. Qualis enim, inquit, iſta Philoſophia eſt, quæ non interitum afferat prauitatis, ſed ſit contenta mediocritate vitiorum? Quincto autem Tuſculanarum cùm Philoſophię vim, quam in medendis animi morbis ac doloribus poſsidet, oſtendiſſet, ſic tamdem velut diuino quodam furore percitus in laudes eius erumpit: O vitæ Philoſophia dux, ô virtutis indagatrix expultrixq; vitiorũ! quid nõ modò nos, ſed omninò vita hominũ ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti: tu diſsipatos homines in ſocietatem vitæ cõuocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde cõjugiis, tũ literarũ & vocũ cõmunione junxiſti: tu inuẽtrix legũ, tu magiſtra morũ & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos, vt antea magna ex parte, ſic nunc penitùs totoſque tradimus. Eſt autem vnus dies benè & ex præceptis tuis actus, pec-

canti

canti immortalitati anteponendus. *Epictetus* etiam Philosophi scholam tabernæ medicæ similem facit, & inde non cum lætitia, sed cum dolore exeundum monet. Horatius quoque quantum Philosophiæ tribuat virium, cùm alia, tum hæc ejus verba satis declarant:

Feruet auaritia miseroq; cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Atq; hoc Seneca Epistola LXIV. sic suo exemplo confirmat: In quacumque positione mentis sum, cùm lego hunc librum, libet omnes casus prouocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit, vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat. Libet aliquid habere, quòd vincam, cujus patientia exercear.

Cuncti deniq; affirmant, eos, qui Philosophiam tractant, similes esse illis, qui Heraclitium flumen ingrediuntur, quod nemo bis facit, ait Plutarchus, quin penitus moueatur & in aliam transeat naturam. Hinc Stilponem Megaricum Philosophum, acutum sanè hominem, scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potiùs ad laudem. Vitiosam enim natu-

ram ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, vt nemo vmquam vinolentum illum, nemo in eo veſtigium libidinis viderit. Ariſtoteles autem hoc ex Philoſophia compendium feciſſe & lucratum ſe dicebat, vt quod alii legum metu, id injuſſus & ſua ſponte faceret, vt in vita ejus auctor eſt Laertius: apud quem etiam de Ariſtippo legimus, interrogatum quid præ ceteris hominibus eximium haberent Philoſophi, ſic reſpondiſſe: Etiamſi leges omnes interierint, ſimiliter viuemus. Quod etiam Antiſthenes videtur docuiſſe, cùm hanc ejus idem Laertius ſententiam laudet: ſapientem non ex legibus his, quæ latæ ſint, ſed virtutis lege in Repub. victurum. Sed quid verbis opus eſt? cùm Philoſophiæ vi fieri conſtet, vt multos

Percipiat vitai odium lucisq́; tuendæ,
Vt ſibi conſciſcant mærenti pectore letum.

De Cyrenaico quidem Hegeſia Cicero & Valerius Maximus ſcribunt, eum de mortis contemptu ſic copioſè diſputaſſe, vt à rege Ptolemæo prohibitus fuerit illa in ſcholis dicere, quod multi his auditis mortem ſibi ipſi conſciſcerent, vnde etiam Πισιθάνατον cognominatum fuiſſe Laertius teſtatur. Callimachi quoque epigramma, vt idem refert Cicero, in Ambraciotam Cleombrotum eſt, quem ait, cùm nihil ei accidiſſet aduerſi, è muro ſe in mare abjeciſſe, lecto Platonis libro. Sed nihil eſt, quod

illam

illam Philosophiæ vim & effectum magis testetur, quàm illustris ille Stoicus & sæculorum memoria dignus Cato Vticensis, de quo Plutarchum legere operæ pretium fuerit, nisi cui Seneca magis arridet, cujus hæc sunt: Iam mihi, cùm ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis. Quid ni ego narrem vltima illa nocte Platonis (de immortalitate animæ) librum legentem, posito ad caput gladio? duo enim hæc in rebus extremis instrumenta prospexerat; alterum, vt vellet mori: alterum, vt posset. Compositis ergò rebus, vtrumque componi fractæ atque vltimæ poterant, id agendum existimavit, ne cui Catonem aut occidere liceret, aut servare contingeret: & stricto gladio, quem vsque in illum diem ab omni cæde purum servaverat, Nihil, inquit, egisti fortuna, omnibus conatibus meis obstando: non pro mea adhuc, sed pro patria libertate pugnaui, nec agebam tanta pertinacia, vt liber, sed vt inter liberos viuerem. nunc quoniam deploratæ sunt res generis humani, Cato deducatur in tutũ. Impresſit deinde mortiferũ corpori vulnus: quo obligato à medicis, cùm minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem, jam non tantùm Cæsari, sed sibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generosum illum contemptoremque omnis potentiæ Spiritum non emisit, sed ejecit. *Veruntamen* quamvis ea sit Philo-

sophiæ

ſophiæ in regendis animis hominum vis atque incitatio, Ariſtoteli nihilominus aſſentiendum puto, juuenem neganti accommodatum eſſe auditorem ad Ciuilem ſcientiam, niſi qui à puero directa ad Virtutem inſtitutione educatus fuerit. Adſuefactione igitur ſiue Conſuetudine priùs puerorum animos ſubigere & excolere oportet, vt honeſtum amplectantur, turpitudine offendantur. Vt enim Satyricus ille ὁ σκοτεινὸς exclamat:

Vdum & molle lutum es; nunc nunc properandus & acri
Fingendus ſine fine rota ---

Eſt namque (ait Plutarchus) pueritia ob mollitiem efficta facilis, animisque puerorum, teneris etiamnum, facile inſidet, quod diſcunt: & ſicut ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ſic diſciplinæ puerilibus adhuc animis infiguntur. Benè igitur Adraſtus Euripidæus Theſeum monet, ne heroum, qui ad Thebas fortiter occubuerint, mortem miretur, quòd à teneris ad virtutis & honeſti ſtudium inſtituti, ſui poſtea diſſimiles fieri, & à ſe ipſis diſcedere vix potuerint:

Τὸ γὰρ τραφῆναι μὴ κακῶς, αἰδῶ φέρει.
Αἰσχύνεται δὲ τ' ἀγαθ' ἀσκήσας ἀνὴρ
Κακὸς γενέσθαι πᾶς τις. ἡ δ' εὐανδρία
Διδακτὸς, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
Λέγειν, ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.

Ἃ δ' ἂν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
Πρὸς γῆρας. οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.
Nam affert pudorem, eductum esse haud
ignauiter,
Fieriq, honesta quisquis antè exercuit,
Malus veretur. Fortitudinis potest
Virtus doceri: namq, & infans eloqui &
Audire discit, quæ nouisse non potest.
Sed quæ puer quis discit, hæc solet senex
Tenere. Vestros sic docete liberos.

Benè item ejusdem poëtæ an Philosophi Hecuba:

Ἔχει γέ μέν τοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
Δίδαξιν ἐσθλοῦ ---
Habet profectò hominum bona educatio
Doctrinam honesti ---

quod disertiùs ac planiùs ab ipso poëta alibi exprimitur.

Τροφαί θ' αἱ παιδευόμεναι
Μέγα φέρουσ' εἰς ἀρετάν.
Quæ disciplinam sociat educatio,
Momentum ea ad virtutem nõ leue possidet.

Errant igitur, multorumque sæpe liberis suis peccatorum & malorum caussam afferunt, qui primam hanc Institutionem negligunt, aut nimia etiam Indulgentia, de qua dictum est.

Larga

Larga patrum segnes facit Indulgentia natos. eosdem domi suæ corrumpunt, quod hæc omnia scilicet à magistris & Philosophis postea correctum emendatumque iri existiment, non enim eadem facilitate excutitur vitium, qua adsciscitur. Facilius est excludere perniciosa, quàm regere aut corrigere: & non admittere, quàm admissa moderari. nam cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minimè patiuntur. Principiis igitur illorum obstemus: meliùs non incipient, quàm desinent. Facile est teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt. Maximè verò euenire hoc solet, cùm pueris adhuc intra lares paternos viuentibus, quotidiana occurrunt vitiorum exempla,

Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.

Sic natura iubet, velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos auctoribus—

qua de re insignis est Quinctiliani locus, vbi perniciosam ac pestiferam illam sui æui patrum in liberos indulgentiam grauibus verbis perstringit. Vtinam, inquit, liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deli-

deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quàm Indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. antè palatum eorum, quàm os instituimus. In lecticis crescunt. Si terram attigerint, è manibus vtrimque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus. nec mirum. nos docuimus: ex nobis audierunt: nostras amicas, nostras Concubinas vident. Omne conuiuium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes, non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas afferunt. *Hi autem* ad hoc exemplum educati quàm difficulter à Philosophis corrigi & ad frugalem vitam reuocari queant, nemo est, quin intelligat.

Barbatos licet admoueas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
Semper, & à magna non degenerare culina.

Nam cùm vitam suam (ait Aristoteles) perturbatione moderatur ac dirigit, tum suas voluptates, eaq;, quib. hæ pariuntur, consectatur: dolores eis contrarios fugit: honesti a. vereq; jucundi ne notionē quidē umquā animo depinxit, vtpote quod

quod numquam deguſtarit. Tales igitur homines quæ ratio corrigere, & à vitio ad virtutem traducere queat? Omninò enim affectus non videtur orationi cedere, ſed vi eſſe cogendus.

CAP. LXXIV.

HActenus igitur Ariſtoteli aſſentimur; ſecus in iis, quæ poſt rectiſsimam educationem requirit ipſe, vt accommodatus moralis & ciuilis doctrinæ auditor eſſe aduleſcens poſsit. Neque enim ſatis eſſe putat, ſi quis directa ad Virtutem inſtitutione educatus fuerit, ſed legibus compulſum ea, quæ didicerit, ſtudioſè tractare ac perſequi jubet: Adſuefactioni deniq; omnia ferè tribuit, doctrinæ parum. quod argumento nobis eſſe debet, quàm diſciplinæ ſuæ diffidat Ariſtoteles. Putat enim fieri non poſſe, aut difficillimè certè fieri, vt ſuæ Philoſophiæ verbis quemquam minùs rectè educatum à vitio ad virtutem traducat. Sed non ita Socrates, qui Phædonem ex Cinædo & impudico, corpore in lupunari quæſtum faciente, oratione ſua Philoſophum effecit: non ita etiam Xenocrates Ariſtotelis condiſcipulus, qui Polemonem, cùm ebrius ac coronatus cum ſodalibus ac tibicina ſcholam ejus deridiculi cauſſa irrupiſſet, ex impuriſsimo & petulantiſsimo comiſſatore, vnica oratione de Temperantia virum optimum & Athenis honoratiſsimum reddidit. Sic enim orati-

oratione illa, vt referunt Laertius & Valerius Maximus, impurus adulescens captus est, & adeò studiosus euasit, vt ceteros superaret, successorque Xenocratis scholam exciperet. Non ita etiam Diogenes, qui dum amico filium ad ipsum adducenti, & ab ingenio optimisque moribus eum commendanti respondet. *Quid igitur indiget mei?* satis declarat, tantum se in Philosophia sua fiduciæ ponere, vt praue quãuis institutum, emendare & virum bonum efficere nihilominus queat. Sed profectò, si verum quærimus, omnis illa, quæ ad mores pertinet, Aristotelis philosophia, mollis est & effeminata, ac nisi aliunde, ex sancta scilicet Christianorum, vel rigida & virili Socraticorum aut Stoicorum sapientia, fortius aliquid adsciscat sibi, nulli prorsus hominibus usui futura. Non enim quicquid morale est, ad bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, aliud ad vestiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiamsi non omnia meliorem eum faciunt. Mores alia aliter attingunt: quædam illos corrigunt & ordinant, quædam naturam eorum & originem scrutantur. Ex hac posteriori nota est Peripateticorum ratio, velut ex iis, quæ posteriùs dicentur, planum fiet: quamuis hæc ipsa eorum cautio vel diffidentia veriùs, de qua dicere cœperam, satis id conuincat & comprobet. Eos

enim si de præceptorum istorum vsu & effectu percuncteris : quid me juvant ? fortiorem facient, justiorem, temperantiorem ? intrepidum ne facient, etiãsi circa me gladii micabũt, etiamsi mucro tanget jugulũ? securus ne ero, etiãsi circa me flagrabunt incendia, etiã si subitus turbo toto nauem meã mari rapiet? quid eos tamdem responsuros putas ? quid ? nisi quod pater eorum Aristoteles : Si non summa cum diligentia ad Virtutem jam inde à puero educatus fuisti, frustra es, quod meam, aut cujusquam Philosophi orationem quicquam tibi profuturam speres. Age igitur, fuerit sic à teneris institutus, tibíque parentes aut pædagogi sua opera docendi ipsius rationem faciliorem reddiderint, num vel sic tamdem eum in disciplinam tuam receptum meliorem facturus es ? quid ais Peripatetice ? Promittis scilicet, sed plus tamen de alieno, quàm de tuo. Sic enim tuus cauet tibi Aristoteles: *Non satis* est pueros & adulescentes, quamdiu in ea ætate sunt, rectè educari, diligenterque institui: sed quoniam corroboratis jam ætatibus ea, quæ didicerant, studiosè tractare & persequi, iisque adsuefieri oportet, etiam in his nobis fuerit legibus opus. *Nimirum* si hæc duo vobis desint, Consuetudo & Leges, nullę jam rei Philosophiam vestram fore prædicitis. At quanto meliùs Stoici nostri? qui cùm & ipsi discipulos rectè educatos malint, non recusant tamen etiã morbidos & mala consuetudine infectos, quosque

Peri-

peripatetici vt desperatos relinquerẽt, curandos & valitudini suæ restituendos suscipere: neque etiam Educationem siue Adsuefactionẽ ideò requirunt, quòd magnum ad capessendam Virtutem momentũ ei inesse credant, sed primũ quidem, q; ejus beneficio fieri intelligant, ne vitiis interea adsuescant animi & curationem postea difficiliorem reddant. In hoc enim differunt bona & mala cõsuetudo, q; hæc difficulter, illa nõ magno negotio mutari potest. Bonũ n. manere (ut Pittacus Platone teste ajebat) difficile est: neq; adeò injuria disciplinã maximè necessariam dixit Antist. mala dediscere. Prodest a. ex Senecæ sententia, etiam quod moratur ad praua properantem. Deinde, quod eum, qui bene educatus & adsuefactone ad virtutis actiones præparaus est, minori negotio ad exercitationẽ eorũ; quæ de Virtute & officio præcipiuntur, excitari solere non ignorent: quæ exercitatio quo consilio à Stoicis requiratur (id enim non nemo mirari posset, propterea quod Stoici non in voluntate, sed in Intellectu Virtutem collocent) sic Musonius apud Stobæum sermone XXIX. exponit: *Virtus* est scientia non contẽplatiua solũ, sed etiã actiua, sicut et Medicina et Musica. Quẽadmodũ igitur oportet Medicũ & Musicũ, non solũ cõtẽplationes suę artis vtrũq; pcepisse, sed in ipsis etiã actionib. secundũ contemplationes exercitatũ esse: similiter qui vir bonus est futurus non præcepta solam ad Virtutem pertinentia,

edidicisse debet, verùm etiam exercitari quoque secundum ipsa diligenter & enixè. Etenim quo quis pacto statim temperans euaderet, si solùm nouerit, quòd à voluptatibus vinci dedeceat, repugnandi verò nullũ exercitium habeat? Aut justus quomodo fieret aliquis, sciens quidem æqualitatem esse diligendam, nequaquam autem circa potioris partis cupiditatem fugiendam se exercuerit? Item Fortitudinem quî comparauerit sibi ille, qui quamuis intelligat, non esse terribilia, quæ metuenda vulgo videntur: vt tamen intrepidum aduersus ipsa se præstet, exercitio nullo confirmatus est? Præterea quo pacto prudentes fieremus, cognoscentes quidem quæ bona, quæ mala sint reuera, non exerciti verò contemnere ista quę boni speciem tantummodo referunt? Quamobrem necessarium est omnino ad doctrinam pręceptorum unicuiq; virtuti conuenientium vsum & exercitationem accedere, si quam modò vtilitatem affore nobis ex ipsa doctrina exspectamus. Atque tanto magis excitari conuenit futurum Philosophum, quàm medicinæ aut similis alicujus artis studiosum, quanto major absolutuque difficilior est Philosophia quouis alio studio. Siquidem alias quidem artes ipsarum cupidi accedunt animis non priùs corruptis, neq; contraria didicerunt ante his, quæ deinde discenda sunt: Philosophaturi autẽ priùs multis corrupti modis impletique malitia sic ad Virtutem se conferunt: quare hanc ob causam

quoq;

quoq; majus exercitium requiritur. Sed quonã (inquies) modo & qua ratione conuenit ipsis exerceri? Quoniam homo non anima solùm, neque corpore solo constat, sed quiddam est ex vtroq; compositum, necesse fuerit exercentem se vtriusq; curam habere; magis quidem præstantioris, vt decet, partis, hoc est, Animę: alteram tamen non negligere, si modo nullam sui partẽ imperfectam habere velit. Etenim oportet corpus quoq; Philosophantis ad corporis officia rectè constitutum esse. Virtutes namq; haud rarò ad actiones vitę Corpus vt necessariũ instrumentum usurpant. Exercitiorum igitur aliud rectè per solam animam efficitur, aliud animæ simul & corporis commune censendum. Communis enim vtrisq; fit exercitatio si nos adsuefaciamus ad rigorem, calorem, sitim, famem, victus tenuitatem, cubilis duritiam, abstinentiam rerum suauium, & molestarum tolerantiam: quoniam per hæc & hujusmodi tum corpus roboratur, ita vt non facilè forinsecus afficiatur, sed firmum & ad quoduis opus vtile sit: tum anima sic exercitata confirmatur, scilicet difficilia quidem sustinens ad Fortitudinem; abstinens verò suauibus, ad Temperantiam. Ceterùm ad alterum exercitium, quod animæ solius est, pertinet primùm quidem faciles sibi & in promptu demonstrationes parare, quibus efficitur, quòd illa Bona, quæ speciem Boni tantùm præ se ferunt, non sint Bona: & Mala, quæ pro Malis opi-

nione multorum habentur, non sint Mala: quæ autem reuera sunt Bona cognoscere, atq; ad discernendum à non veris adsuefieri deinde operam dare, neq; existimata vlla Mala refugere, nec ulla pro Bonis habita persequi, & à veris Malis omni modo declinare, vera autem Bona omni studio sequi. *Adhuc Musonius*: à quo ne quispiam minùs acriter intelligens sententiam Aristotelis corroborari existimet, operæ pretium fuerit sententiam horum verborum compendio quodam exponere. Docet itaq; Stoicorum discipulum siue Virtutis studiosum haberi non debere, qui non ea, quo ad discendam Virtutem requiruntur, omnia addiscat: disci autem Virtutem non ex doctrina solùm, sed etiam Exercitio. Cui rei duo affert argumenta. Vnum, quia Virtus scientia sit, quæ ad Actionẽ refertur, nõ secus atq; Musica & Medicina, quas quidẽ p̃ter doctoris operã etiã Exercitiũ requirere, vt perficiantur inter omnes constat. Alterum, quia Virtus scientia sit, ad quam discendam nemo sanus & integer accedat, sed deprauatum corruptumq; judicium afferat, vt etiam multò magis ad Virtutem, quàm ad alias scientias addiscendas exercitatione opus esse videatur. Iam vt perspicuum sit non solùm vnde illa judicii Corruptela in nobis extiterit, sed etiam cujusmodi contra illam exercitatio requiratur, hypotyposi Musonii sententiam correctione tamen, velut hominem Christianum par est, adhibita declarabimus.

Corru-

- *Corruptela est vel*
  - *Extranos, vt praua*
    - Educatio
      - *parentum*
      - *magistrorum*
    - Exempla aliorum aut consuetudo
    - → *errantium in æstimatione & appetitione bonorum & malorum.*
  - *In nobis, vt*
    - *Corporis innata mollities*
    - *Intellectus lumen præter læsionem voluntatis obscuratum peccato*
      - *naturali seu originis*
      - *voluntario siue actuali.*
- *Exercitatio est vel*
  - *Animæ solius, vt*
    - *Assidua dogmatum & præceptorum Philosophicorum repetitio, contra haustum & arreptum ex praua educatione & exemplis errorem*
    - *Creber Sacramentorum vsus, per quem illuminationem intellectus & voluntatis renouationem à Deo consequimur.*
  - *Corporis & Animæ simul, vt adsuefactio ad toleranda dura & sensibus molesta.*

Atque ita perſpicuum fit, cur cùm Stoici in Intellectu, non in Voluntate Virtutem collocent, hoc eſt, Scientiam definiant, id quod multis mirabile viſum iri dixeram, plurimum tamen in ea adipiſcenda Exercitationi momenti attribuant. Nam ut prætermittam de dogmatum & præceptorum repetitione, deque crebro Sacramentorum, in primis Pœnitentiæ vſu, quibus rebus & voluntas redintegratur & renouatur Intellectus lumen, vt in æſtimatione & appetitione rerum minùs aberremus: illa certè Exercitatio, qua nobis ea, quæ dura ac moleſta perhiberi ſolent, aſsiduè tolerando, leuia ac facilia reddimus, hoc nobis præſtat, vt quod priùs ex auditione præceptorum, eorundemque repetitione opinati fueramus (nec enim dici poteſt ſcire, qui mox mutatus aliter judicat, cùm ſcientia conſtantiam & immobilitatem judicii de re quapiam ſiue neceſſaria, ſiue contingenti ſignificet, fruſtra quamuis diſſentiente & contra Platonis omniumque Græcorum loquendi conſuetudinem ad neceſſarium objectum ſcientiæ vocem reuocante Ariſtotele) id nunc experiendo verum eſſe, neque aliter ſe habere comperiamus, & ita ſenſuum ipſorum miniſterio edocti ac conuicti SCIRE incipiamus. Ad hanc igitur exercitationem cùm minori negotio is, qui à pueris benè inſtitutus eſt, excitari poſsit: non injuria Stoici ſi diſcipulorum

optio ipsis detur, eum qui cura parentum aut magistrorum probè institutus & ad bonas honestasq; actiones Adsuefactione pręparatus est, alteri secus educato, nisi melior eum indoles fortasse commédet, præferendum & ad scholas suas admittendum putant. Sed Aristotelis, vt ex ijs, quæ superiùs dicta sunt apparet, haud paullò alia est ratio, qui cùm bonam educationem, disciplinam seu Philosophi ciuilis præcepta, leges deniq; requirat, plurimum tamen bonæ educationi siue Adsuefactioni tribuit. At enim cùm ipsi etiam Aristoteli (vt longiorem & alterius loci ac temporis disputationé præcidam) vitia omnia ex ignoratione proficisci videantur, dum quid faciendum & à quo abstinendum sit nescitur, velut infra demonstrabo: non satis est, vt apud Arrianum Epictetus docet, velle bonum fieri, sed & discere quædam est necessarium. Si enim literas discendas esse, tantùm audiuissem, ait Xenophon, nihilo magis eas scirem. Huc autem prorsus nihil confert, neque prodest Adsuefactio: siquidem non minùs, qui benè, quàm qui malè educatus fuit, in rebus singulis pretio suo æstimandis labi & errare solet. Sic ergò satis constare opinor, quæ caussa fuerit Aristoteli, cur etiam benè educato adulescenti parum ex Philosophiæ suæ Auditione vtilitatis promiserit. Plurimum videlicet doctrinæ suæ diffidebat, quippe quam ad medicinam affectibus hominum faciendam parum valere compererat. Quare danda parentibus est opera, vt quàm rectissimè à prima sta-

tim pueritia educari liberos suos, & ad Virtutē adsuefieri ac præparari curent: posteaquam verò iam adoleuerint, vt Philosophiæ studijs destinandi videantur, pręceptores ac magistros formandis adulescentum moribus, animisq; eorum ad vitam bene beateq; agendam instituendis accommodatissimos summa cum cura ac dilectu prospicere eis debent: quod hodie tamen cum ingenti & reipub. & ipsorum adulescentum detrimento à plerisque parentibus negligi videmus: quorum etiam vecordia vel crudelitas veriùs in liberos, anteq̃ ad excutiendam & considerandam Magistrorum vulgarium, quæ ad Mores pertinet, disciplinā in SATYRICO meo progrederer, obiurganda mihi visa fuit.

CAP. LXXV.

NON autem dubito conaturos eos huius inuidiam culpæ à se amoliri, cùm quæ ad rectam liberorũ suorũ institutionē ptinere visa fuerint sedulo fecerint oīa, & publicis Magistris, virtutũ nō minùs, quàm literarum professoribus, curam ipsorum commiserint. Sed nequaquam tamen hoc ipsis purgandis satis fuerit. Cùm enim nemini rationis ac mentis compoti, velut superiùs ex Platone demonstrabamus, maior vsquam adhibenda sit diligentia, quàm vt filium reddat optimum, nulliusque rei, quàm viuendi difficilior sit scientia, cùm professores aliarum artium vulgò multique sint, quasdam verò ex his pueri admodum ita percepisse visi sint, vt etiam præcipere possent: ipsi nihil prorsus cunctati, nullaq; præmissa consultatione,

vt sal-

vt saltim cunctati videantur, homines ejusmodi, quos nec nouerunt, neq; vllum vel vitæ vel doctrinæ ipsorum periculum fecerunt (quasi errare non possent, in quemcumq; tamdem ex grege illo primum incidant) præceptores nihilominus liberis suis deligunt. Quamuis n. Magistri illi non literas solùm, sed Pietaté quoq; ceterasq; Virtutes docturos se ꝑmittant, & velut de sui æui magistris Plato scribit, se palam cuiq; Græcorum discere volenti semper exponant, huius disciplinæ præscriptum pretium capientes: non tamen decet subitò de tanta re ferre sententiam & quasi planam protinus affirmare: iuuenum enim, imò verò amentium prorsus esset, de tantis rebus statim assentiri, & tãquam in Care periculum, inq; dolio figulariam experiri, vt Platonis ore loqui pergam. Certè ad Sophistas quoque primores Atheniensium liberos suos instituendos mittere solitos, non vno loco Plato, Xenophon, Aristoteles, aliique memorię prodidere. Et rectè tamen de ijsdem apud Platonem censet Anytus; *Id* ne Dij siuerint, vt quisquam vel cognatorũ, vel familiarium, vel amicorũ, vel ciuium, vel hospitum eò insaniæ deueniat, vt istis adherescens perdi se patiatur. Eorum quippe consuetudo certa illorum, qui eos sectantur, pestis est. *Et paullò pòst* sciscitanti Socrati, num Sophistæ illi scientes decipiãt discipulos, an verò & ipsi, dũ Virtuté ꝓfitentur, insaniant, ita respõdet: *Longè* abest, vt insanire dicantur, ô Socrates, sed juuenes potiùs, q argentum illis afferũt. atq; his etiã deteriores sunt, si qui illos, quorum cura ad se pertinet, ijs com-

mittunt. Omnium postremò insanissimæ sunt ciuitates, quæ illos recipiunt, neq; furcis expellunt, seu aduena, seu ciuis talem rem conetur. *Rectè* quoque in eorum similes apud Arrianum Epictetus inuehens: Haccine de caussa, inquit, adulescentes patriã & parentes relinquent, vt huc profecti te verba explicantem audiant? Non eis domum redeundum est tolerantibus, officiosis, perturbatione vacuis, tranquillis, tali viatico ad degendam vitam instructis, vt casus humanos pulchrè ferre norint, atq; inde ornari? Vnde autem tu illa impertias, quæ non habes? *Istorum* igitur exemplo cautiores reddi, neq; sic temerè virtutis doctrinam magnificè minantibus ac promittentibus credere debebamus: sed primùm quidem inquirere, si quem vnquam disciplina sua melioré reddiderint, aut virum bonum effecerint; (si enim nihil commutantur animo, qui ad eos accedunt, & ijdem abeunt, qui venerant, non obscurum est, quis disciplinæ istius vsus esse possit) tum autem quòd ex tam innumerabili pœnè eorum numero qui è scholis istis prodierunt, fieri nequeat, quin & docti & boni viri complures reperiantur, considerare oportebat, num reuera disciplinæ istius beneficio, an quauis alia caussa potiùs (possunt enim plures concurrere) tales euaserint. Sic enim si faceremus, verum fortasse etiamnũ appareret, quod à Platone dictum est: *Optimum* signum scientis est, si potest ostendere, quos docuerit. *Et:* Qui neminé monstrare potest meliorem à se factum, ineptè

ptè profitetur correctionem aliorum. *Itemq;* à Xenophone: Nuſquam vidimus hominem, quem ſophiſtæ bonum fecerint, cùm ne literas quidem tradant, ex quibus bonos euadere oportet.

CAPVT LVIII.

AC talis quidem noſtra eſt de parentibus pleriſq; Conqueſtio: Præceptores autem hoc potiſſimum nomine in Satyrico obiurgauimus, quòd CVRSV illo ſuo, quo vniuerſam Philoſophiam docere ſe iactitant, Ciuilem ſcientiam ſiue Moralem Philoſophiæ partem non profitentur: vnde fieri videmus, vt qui ab ipſis veniunt, etiamſi omnes omnia faciant, vel vnico tamen Ethicorum Ariſtoteleorum capiti intelligendo impares inueniantur. nam de Oeconomicis & Politicis ne mentionem quidem vllam fieri vmquam in ſcholis illis audiuerunt: vt ita, quàm boni Philoſophi & Peripatetici ſint Magiſtri iſti, cuiuis appareat. Sed ita fieri ſolet, vt cùm minus neceſſaria atque adeò ſuperuacua curioſè agimus, in neceſſariorum curam poſtea negligentiùs incumbamus, ex Agathonis ſententia:

Τὸ μὲν πάρεργον ὡς ἔργον ποιούμεθα
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Cùm enim in Philoſophia, velut in nucibus (ait Clemens Alexandrinus) non quiduis ſit eſculentum, ac Phyſicæ diſputationes nihil ad vitam neq; tuendam neq; ordinandam promoueant, quę cauſſa fuit cur naturalium rerum contemplationi vacan-

vacantes dixerit Pindarus ἀτελῆ σοφίας καρπὸν δρέπειν *imperfectum sapientiæ fructum capere*: ipsi nihilominus Physiologiam, quasi ea demum vera sit Philosophia, non priorem tantùm ac præcipuè, sed ferè solam, quamuis mancam mutilam, & imperfectam, discipulis proponunt. Ac quoniam non ignoro, hunc in tradenda Philosophia ordinē ita iam inueterasse & corroboratum esse, vt laterem lauare videatur, qui ad mutationem eius verba conferre ausit, cōmodiùs facere nequeo, quàm vt Philosophandi rationem, quæ antiquissimo & optimo cuique placuit, breuiter exponam. Inter septem itaque Græciæ sapientes, solus Thales in Physicis excelluit, reliqui à ciuilibus artibus sapientiæ nomen inuenerunt, vt Plutarchus in Solone testis est, vbi etiam docet, non solùm Solonem, sed & plerosque sapientum ex omni Philosophia Ethicen & Politicen præcipuè sectari consueuisse: in Themistocle quoque hanc Philosophorum Politicorū sectam ex Solonis successione apud Athenienses viguisse confirmat. Physica autem Philosophia in doctore Socratis Archelao, cui Physico cognomen fuit, desijt, ait Laërtius. Primus autē Socrates (vt Aristoteles eius, si Amonio fides est, ipso triennio auditor, scribit) moralium virtutum inquisitioni vacauit, & de ijs vniuersè definire laborauit, hoc est, vt Laërtij verbis vtar, moralē Philosophiam introduxit καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη *primus de Vita disseruit*. Animaduertens enim (ait idem Laërtius) naturæ contemplationem nihil

il nobis prodesse, de moribus & in officinis &
oro Philosophatus, ea se quærere dicebat,
dibus in propriis quæ recta & praua gerãtur.
n autem de rerum natura (scribit discipulus e-
Xenophon) aliorum exemplo disputabat, nec
madmodum quia sophistis mundus vocatur, se
eat, considerabat: immò verò illos, qui in hu-
emodi contemplatione occupantur, stolidos
affirmabat. Ipse verò de humanis semper dis-
ıbat rebus, considerans quid pium, quidue im-
n sit, quid honestum, quid turpe, quid iustum,
l iniustum, quid sobrietas, quid insania, quid
tudo, quid formido, quid ciuis, quid ciuilis,
l hominibus dominari, qualisque debeat esse,
hominibus præsit, ac de ceteris hujusmodi:
qui scirent, bonos & honestos viros putabat,
cipia verò justè appellandos, qui ea ignora-
. Nullam enim ex ceteris scientijs exsistere
ıinibus vtilitatem affirmabat, in quibus co-
cendis vita hominis inutiliter occupetur, à
isque alijs optimis rebus abstrahatur. Omnia
que & disputabat, & cum familiaribus dis-
ebat, non vltra quàm ad vitæ vtilitatem. Et
ro Academ. quæstio. 1. Socrates, inquit, mi-
detur, id quod constat inter omnes, primus à
s occultis & ab ipsa natura inuolutis, in quib⁹
es ante eum Philosophi occupati fuerũt, auo-
e Philosophiã, & ad vitã cõmunem adduxisse,
virtutib. & vitijs õninoq; de bonis reb. & malis
quære-

quæreret: cœlestia autem vel procul esse à nostra cognitione censeret, vel si maximè cognita essent, nihil tamen ad benè viuendum conferre. Idem Tuscul.5. Ab antiqua, inquit, Philosophia vsque ad Socratem, qui Archelaum Anaxagoræ discipulum audierat, numeri motusque tractabantur, & vnde omnia orirentur, quoue recederent, studioseque ab his siderum magnitudines, interualla, cursus anquirebantur, & cuncta cælestia. Socrates autem primus Philosophiã deuocauit è cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus, rebusq; bonis & malis quærere. Et Seneca: Socrates, inquit, qui totam Philosophiam reuocauit ad mores, hãc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. Ab hoc Socrate posteà ceterarum sectarum Philosophos decreta pcipua mutuatos esse, idq; omnes præ se ferre ac fateri Clemens Alexandrinus scribit. Et Zeno quidem, à quo cœpit Stoicorum rigida & virilis sapientia, atque Antisthenes Cynicæ, atque adeò, si verum cum Laërtio fateri volumus, Stoicæ sectæ Princeps, Socrati & Socraticis viris sua omnia libenter debent. Antisthenes enim Socratem audiuit, illum Diogenes, hunc Crates, Cratetem Zeno. Epicurus denique (quem Seneca inuitis suis popularibus siue Stoicis, sancta & recta, & si propiùs accesseris, tristia dicit præcipere) Socratis exemplo ad vitæ vsum totam Philosophiam referendam censuit, neq; vllam eruditionem esse duxit, nisi quæ beatæ vitæ disci-

disciplinam iuuaret. Physicis autem non aliter vacauit, quàm vt ea ad parandam vitæ tranquillitatem vteretur. Omnium enim rerum natura cognita (vt est apud Ciceronem) leuamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, è qua ipsa horribiles exsistunt sæpè formidines: denique etiam morati melius erimus, si didicerimus, quæ natura desideret. Plutarchus quoque Epicurum scribit dicere solitum, nisi supera & cælestia timorem nobis iniecissent, Physicen futuram fuisse superuacuam; quod idem refert Laërtius. Aristoteles autem Peripateticorum pater, quamuis Physiologiam præter ceteros excoluerit, & partim perspicacissimo ac pæne diuino quodam ingenio præditus, partim regijs iacturis impensisq; maximis adiutus, naturam & caussas ortus ac interitus omnium rerum perquisiuerit, &, velut Laërtius scribit, vsque adeò αἰτιολογικὸς fuerit, vt minutissimarum quarumq; rerũ caussas libris suis reddiderit (vnde Clemens Alexandrinus à Chrysippo Dialecticum, à Platone Philosophum, ab Aristotele Physicum institui dicit, & prorsus Philosophiam à Physica distinguit, dum nonnullos ait ingenio nimis confisos nec Philosophiam attingere, nec Dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, ac rectà ad Theologiam properare) adeò tamen inuentam à Socrate, & à Platone deinceps excultam ciuilem ac moralem Philosophiam non neglexit, vt solus ferè artem illam vitæ (quo nomine Philosophiam

Cicero appellat) in artem redigisse videatur. Atq; hinc factum, vt Peripatetici non minùs, quàm Academici, quos idem Tullius re consentientes, vocabulis differre ait, propter eximiam rerum maximarum scientiam, vniuersarum rerum publicarum nomine, POLITICI Philosophi vocarentur. Et meritò quidem. Ea enim pars, quæ benè viuēdi præcepta quærit, est ab ijsdem non solùm ad priuatæ vitæ rationem, sed etiam ad rerumpub. rectionem relata: ab his Oratores, ab his Imperatores ac rerumpub. Principes euaserunt: hi sibi cum Oratoribus cognationem esse, hi claros viros à se instructos rexisse sæpè rempub. dicebāt. Tantum denique hoc ipsorum in hac parte studium apud posteriores valuit, vt sola Socratica siue Ethica Philosophia, digna tanto hoc nomine videretur, neque Philosophus haberetur, qui aliud quàm Virtutem doceret. Vnde Cicero: His, inquit, libris annumerandi sunt sex de Republica quos tunc scripsimus, cùm gubernacula reipub. tenebamus; magnus locus, philosophiæque proprius, à Platone, Aristotele, Theophrasto, totaque Peripateticorum familia tractatus vberrimè: Idem Cicero maximè necessariam vocat partem Philosophiæ, quæ posita est in Virtute & moribus. Et: quis est, inquit, qui nullis officij præceptis tradendis Philosophum se audeat dicere? Facessant ergò omnes, qui docere nihil possunt, quo meliùs sapientiusq; viuamus. Clemens quoque Alexandrinus: Apud Græcos, inquit, dicuntur

tur

tur Philosophi, qui de Virtute disputationes suscipiunt. Idem palam testatur, se non mathemata, nō Geometriam, neque Musicam, aut Encyclopædian, sed solam Socraticam, quæ apud Platonem est, pro vera Philosophia habere, & idoneā, quæ viam muniat ad veritatem. Ac Plato quidem non vno loco hanc ipsis sententiam præiuit, & relictis rebus in præstantiorem hanc Philosophiæ partem incumbendum docuit: cuiusmodi hic est in Gorgia locus: Harum consideratio rerum, omnium pulcherrima est, qualem esse virum deceat, quidque & quousque tam in iuuenta, quàm in senectute exercere conueniat. Et hic item extremo libro decimo de Repub. Omni studio danda est opera, vt quisque nostrum omissis ceteris disciplinis, hanc quærat assequaturque pro viribus, per quam & possit & sciat vitam bonam à mala discernere, & quoad fieri potest, ex omnibus eligere meliorem. Hic denique ex epistola ejus ad Aristodorum: Audio te familiarem esse Dionis, & per omne tempus sapientiam morum ad Philosophiam spectantium in primis exercuisse. nam firmitatem, fidem, sinceritatem, veram esse Philosophiam existimo: alias verò & ad alia declinantes scientias & facultates si quis ornamenta dixerit, rectè, vt arbitror, appellabit. Quid hic Plutarchum laudem, qui aureolo suo de recta iuuentutis institutione libro, nihil nisi Morale de Philosophia pollicetur? quid Senecam? quem sic æstimat Plutarchus, vt de Græcis, quem ei componat, non

inueniat, quiq; adeò est in Philosophia Moralis, vt hoc vno in studio vniuersam ætatem consumi iubeat? neq; id iniuria. Si enim rectè atque ordine vulgares & hordearij isti Magistri, quos non malè iuuentutis cymbala cum Virgilio vocaueris, facere eos existimant, qui sex septem annos Grammaticę, Poësi & Rhetoricæ; Logicæ & Physiologiæ triennium impendunt: quàm absurdum fuerit, vel nihil, vel non multò plus nihilo ei studio temporis tribuere,

Vnde haurire queas vitæ præcepta beatæ,

quodque ex eiusdem doctissimi, non poëtæ magis, quàm philosophi sententia,

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè:
Æque neglectum pueris senibusq; nocebit.

Vt ex illis scilicet videaris—*ὅς ἐδίδαξαν ἀριστερὰ γράμματα Μοῦσαι*

Literulas Musæ quos edocuere sinistras,

velut Parodus quispiam diceret. Reuera enim ridiculum est, si qua Platoni fides, in rebus minimis omne studium ponere, & obnixè, vt quàm rectissimè peragantur, contendere: in maximis autem leuem ac tralatitiam operam atdiligentiam adhibere: vt Alexidis nimirum sententiæ locus sit:

ὧν οὐκ ἐχρῆν ἄρχουσιν, ὧνδ᾽ ἄρχειν ἐχρῆν ἀμελοῦσιν—

Quæ non oportet, incipiunt, sed negligunt,
Quæcumq; oportet—

Quare

Quare qui nobiliori illa magisq; nobis necessaria Philosophandi ratione contempta, difficilia ista, quæ ingenti supercilio Philosophi hodie iactitant, ambitiosè docent, & vt Euripides loquitur, *μετεωρολόγων ἑκὰς ῥίπτονται σκολιὰς ἀπάτας, ὧν ἀπερὰ γλῶσσα εἰκοβολεῖ περί τῶν ἀφανῶν:*

Sublimiloquorum tortuosas funditant
Fallacias quas lingua infrenis assolet
De rebus haud visis temerè iaculariet:

non multum Troianis sunt dissimiles, quos Stesichorus, eumq; secuti Euripides ac Plato, ignaros veræ Helenæ, de vmbra & imagine ipsius decertasse affirmabant. Sapientia enim, vt Aristoteles alpha Physicorum docet, nihil eorum considerat, quibus homo beatus sit futurus. Et Physicos ait idem tenere quidem recondita quædam & sublimia, & admirabilia & difficilia, sed quæ sibi vtilia sint, ignorare, ideoque sapientes quidem dici, prudentes verò nequaquam. Sed cur nobis sapientia istiusmodi tanto studio persequenda sit, videre non possum. quid enim prodest discere, quod discere non prodest? Atque hinc Aristo Chius ex ijs, quæ Philosophi scrutantur, Ethica tantùm dicebat ad nos spectare, Physica verò supra nos esse: cognosci enim non posse, & nihil vtilitatis afferre. Ipse etiam Plato inutiles istos, uanos & superstitiosos rerum reconditarum indegatores non iniuria perstringit, & Cicero eorum

objurgat vitium, qui nimis magnũ ſtudium,multamq; operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias. quare vehementer mihi Senecæ Romanorum ſapientiſſimi Conſilium probari ſolet,qui temporis,cuius multò maximus eſt ſumptus (quod verbũ Theophraſto ſemper in ore fuiſſe Laërtius refert) cuiuſque adeò, vt idem docet Seneca, vnius honeſta eſt auaritia, ſumma ratione habita, neceſſaria primùm perſequamur, tùm ſi quid à ſtudio morum vacet, attingamus etiam cetera,non in remedium animi, ſed in exercitationem ingenij inuenta, quæque non multum nocet tranſiſſe, quippe quæ nec licet ſcire, nec prodeſt. Sed præſtat ex multis, quæ huc faciunt, pauca ſcriptoris huius, qui totus ediſci dignus eſt, loca hic ſubijcere. Epiſtola igitur XLVIII. ad Lucillium: *Diſputationes iſtæ*, inquit, vtinam tantùm non prodeſſent; nocent. hoc tibi cùm voles manifeſtiſſimum faciam, & comminui,& debilitari generoſam indolem in iſtas argutias coniectam. *Et inferius:* Quantum potes, reduc te ab iſtis exceptionibus & præſcriptionibus Philoſophorum. aperta decent & ſimplicia bonitatem. Etiam ſi multum ſupereſſet ætatis, parcè jam diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſarijs. nunc quæ dementia eſt ſuperuacua diſcere in tanta temporis egeſtate? *Et epiſt.* XXCII. Acuta ſunt iſta, quæ dicis. nihil eſt acutius ariſta. quædam inutilia & inefficacia, ipſa ſubtilitas reddit. *Et epiſt.* CII. Non debuit hoc nobis eſſe propoſi-

tum

tum, argutias serere, & Philosphiam in has angustias ex sua majestate detrahere. quanto satius est, ire aperta via & recta, quàm sibi ipsi flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere? neq; enim quicquam aliud istæ disputationes sunt, quàm inter se perite captantium lusus. *Et epist.* CVI. In superuacuis subtilitas teritur: non faciunt bonos ista, sed doctos, apertior res est sapere, immò simplicior, paucis opus est ad mentem bonam literis. Sed nos vt cetera in superuacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoq; intemperantia laboramus. non vitæ, sed scholæ discimus. *Et epist.* CVII. Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis datur, vt aliquid ex illo vacet perdere. Et vide, quàm multa etiam diligentissimis pereant aliud valitudo sua cuiq; abstulit, aliud suorum. aliud necessaria negotia, aliud publicæ occupauerunt. vitã nobiscum diuidit somnus. Ex hoc tempore tam angusto & rapido & nos auferente, quid iuuat maiorem partem mittere in vanum? Adijce nunc, ꝙ adsuescit animus delectare se potiùs, q̃ sanare, & Philosophiã oblectamentũ facere, cùm remediũ sit. *Et epist.* CXI. Ludit istis cauillationib. animus, nõ ꝓficit, & Philosophiã à fastigio deducit in planum. nec te ꝓhibuerim aliqñ ista agere, sed tũc cùm voles nihil agere. Hoc tamen habent in se pessimũ, dulcedinem quamdam sui faciunt, & animum specie subtilitatis inductũ tenent ac remorãtur, cùm tanta rerũ moles vacet, cùm vix tota vita sufficiat, vt hoc vnum discas vitam contẽnere.

CAP. CXVIII.

VT autem nostram de docendæ Moralis Philosophiæ ratione sententiam tamdem aperiamus, caussas in SATYRICO reddidi, cur Ethicos Aristotelis ad Nicomachum libros primum omnium studiosis adulescentibus proponi & explicari velim. Quamuis enim plurima Stoicorum placitis, quibus animos discentium imbuendos censemus, contraria in ijs legantur: nequaquam tamen hoc nomine mille alijs, quas afferre possunt, vtilitatibus prohiberi adulescentes æquum fuerit. Vt enim de ordine ac methodo nihil dicam, qua in libris illis Aristoteles, sui scilicet perpetuò similis, admirabili vtitur, tanta solertia tantoque ingenio quæcumque ad pernoscendam MORVM naturam pertinent inuestigat, vt si maximè Socraticorum & Stoicorum de hac Moralis Philosophiæ parte, quæ naturam morum & originem scrutatur, libri hodie exstarent, vix tamen, nisi vbi ab Aristotele dissentiunt, suamque sententiam ad Sanctæ nostræ Fidei veritatem adjungunt, paria Aristoteleis, nedum meliora, ab ipsis allatum iri existimem. Iam verò cùm finis huius doctrinæ sit mores hominum reddere meliores (nisi enim hoc nobis præstet, nulla foret eius vtilitas, quod non cognitio, sed Actio nobis sit proposita, velut non vno loco Aristoteles demonstrat) ad eumq; nisi natura prius Virtutū Vitiorūq; probè cognita penitusq; perspecta, perueniri nequeat,

nequeat, nemini dubium esse potest, quin priore loco de virtute ac vitio adulescentibus præcipiendum sit. Vt enim rectè monet Seneca, præcipiet aliquis, vt Prudentiam magni æstimemus, vt Fortitudinem complectamur, Temperantiam amemus, Iustitiam, si fieri potest, propiùs etiam quam ceteras nobis applicemus: sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit Virtus; vna sit, an plures; separatæ, an annexæ; an qui vnam habeat, & ceteras habeat; quomodo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quærere, quod ejus initium, quis vsus sit; non magis, quàm Pantomimo de arte saltandi. Omnes istæ artes se sciunt, nihil deest: non enim ad totam pertinent vitam. Virtus & aliorum scientia est, & sui. Verumtamen neque nouisse illa, quæ libris his complexus est Aristoteles, sufficere, neque in iis magnum ad subigenda vitia morbosq; animi sanandos momentum inesse existimandum est. Nec enim voluptates illa temperant, non cupiditates refrenant, non iras reprimunt, non indomitos Amoris impetus frangunt, nulla denique animo mala educunt, non judicium dant, non excutiunt errorem. Cujus enim errores ista minuunt? cujus cupiditates premunt? quem fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem faciunt? Hoc mihi ab istis subtilibus præcipi malo, quid amico præstare debeam, quid homini: quàm quot modis Amicus dicatur, & Homo quàm multa significet. Cogita,

quod soleo frequenter dicere, in istis nos nihil aliud, quàm acumen exercere. Toties enim illo reuertor: quid ista res me juuat? fortiorem faciet, justiorem, temperantiorem? Nondum exerceri vacat, adhuc medico mihi opus est. quid me doces scientiam inutilem? magna promisisti, exigua video. Dicebas, securum fore, etiamsi circa me flagrarent incendia, etiamsi subitus turbo toto nauem meam mari raperet. Dicebas, intrepidum fore, etiamsi circa me gladii micarent, etiamsi mucro tangeret jugulum. Hæc mihi præsta tu, vt voluptatem, vt gloriam contemnam. postea docebis, implicita soluere, ambigua distinguere, obscura perspicere: nunc doce, quod necesse est. Inter sapientiam & sapere quid intersit, nescio. Scio, mea non interesse, sciam ista, an nesciam. Dic mihi, cùm quid inter sapientiam & sapere intersit, didicero, sapiam? Cur ergò potiùs inter uocabula me sapientiæ detines, quàm inter opera? Fac me fortiorem, fac me securiorem, fac fortunę parem, fac superiorem. possum autem superior esse, si fecero omne, quod disco. Temerè me gerá, subibo hujus voti aleá: Tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potiùs id age, vt mihi viã monstres, qua ad ista perueniam. Dic mihi, quid vitare debeam, quid appetere: quibus animum labantem studiis firmem: quemadmodum quæ me ex transuerso ferunt aguntq;, procul à me repellã: quomodo par esse tot malis possim: quo-

modo

modo istas calamitates remoueã, quæ ad me irruperunt: quomodo illas, ad quas ego irrupi. Doce, quomodo feram ærumnam sine gemitu meo; felicitatem sine alieno: quomodo vltimũ necessarium vitæ terminum non exspectem, sed ipsemet, cũ visum erit, profugiã. Hæc tractemus, his formemus animũ: hęc est sapientia, h.e. sapere. non, disputatiunculis inanib. subtilitatem vanissimam agitare. Transcurramus solertissimas nugas, et ad illa, q̃ nobis aliquã opẽ sunt latura, properemus. Hęc sic à Seneca nostro rectissimè disputantur. Si enim nihilo meliores reddantur animi nostri, nõ video, quid referat tantũ studii in cognoscenda Virtutis ac Vitii natura consumere. Vt enim medicinæ nullus est vsus, inquit Pythagoras, nisi morbos ex corporibus expellat, ita nec Philosophiæ, nisi animæ vitiis medeatur: qua de re quæ suprà magnis auctoribus disputaui, videri possunt. Peripatetica igitur ratio, ne non contenti, vtpote qua docemur, non viuere, sed disputare, ne conuicio Epicteti notari meritò queamus, tamquam μέχρι τῶν λογαρίων προσκόπτοντες, ἔξω δ᾽ αὐτῶν οὐδὲ τὸ ἐλάχιστον *in disputatiunculis subsistentes, neq; ultra eas vel tantillum progressi*, virilem illam Stoicorum sapientiam doceamur. · Hęc enim si verum fateri volumus, inter tam varias & discrepantes sectas sola Philosophiæ nomen meretur, & vestigia Socratis, quam Moralis Philosophiæ auctorem diximus, omnium religiosissimè insistit, & si cui

peri-

periclitari modò libeat, contra quam auditori illi Ciceronis videtur, pota magis, quàm gustata delectat: ad Fidei certè Christianæ veritatem, vt inferiùs docebo, quàm proximè accedit. Neque verò ego, dum Stoicam Philosophiam in scholas introducere studeo, sic totus à Stoicis dependeo, vt eos solos sequendos, inque verba eorum jurandum cuiquam existimem: qui quæcumque prodesse poterunt studiosissimè vndique conquiri ac comportari, & ad ingenerandum animis Virtutis amorem, morbosque & affectus animi persanandos adhiberi auctor sum, idque in primis etiam germano Stoico conuenire puto. Nam neque Epictetum sanctissimum Philosophorum, & in ista secta longè principem puduit Socratis, Platonis, Antisthenis, Diogenis aliorumque auctoritatem sequi. Seneca etiam sibi à magistris suis dissentire & Epicuro nonnunquam adherescere permittit. Potest fieri (scribit alicubi ad Lucillium) vt me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potiùs, quàm nostrorum. quid est tamen, quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas? quàm multa poëtæ dicunt, quæ à Philosophis aut dicenda, aut dicta sunt? Idem alibi Chrysippum ac Cleanthem, qui fulcire Stoicorum porticum credebantur, grauissimè reprehendit ac confutat, quòd eò ineptiarum, subtilitatis specie inducti, deuenerint, vt Virtutes animalia esse dicerent. Et libro de

vita

vita beata de sua in Philosophando libertate sic prædicat: Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones prætereibo. Nam & enumerare illas longum est, & coarguere. nostram accipe. nostram autem cùm dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. Est & mihi censendi jus. Itaque aliquem sequar, aliquem jubebo sententiam diuidere. Fortasse & post omnes citatus nihil improbabo ex his, quæ priores decreuerint, & dicam: HOC AMPLIVS CENSEO. Interim quod inter omnes Stoicos conuenit, rerum naturæ assentior. ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumq; formari, sapientiæ est. Et posteriùs procedente libro sic contra eos, qui Stoicæ sectæ philosophum à Zenone dissentire irreligiosum censebant, disputat: Dices mihi: Quid nobis Epicuri præcepta in ipsis Zenonis principiis loqueris? quin tu benè & nauiter, si partium piger, transfugis potiùs, quàm prodis? Hoc tibi in præsentia respondebo: Numquid vis ampliùs, quàm vt me similem ducibus meis præstem? quid ergò est? non quò miserint me illi, sed quò duxerint, ibo. Nunc probabo tibi, non desciscere me à præceptis Stoicorum. nam ne ipsi quidem à suis desciuerunt. Et tamen excusatissimus essem, etiamsi non præcepta illorum sequerer, sed exempla. Et statim: Hæc Stoicis quoque placere ostendam: non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis

nis Chrysippi vie committere, sed quia res ipsa patitur, me ire in illorum sententiam: quam si quis semper unius sequitur, nonne injuriam infert ceteris? Vtinam quidem jam tenerentur omnia, & in operta ac confessa veritas esset, nihil ex decretis mutaremus: nunc Veritatem cum eis ipsis, qui docent, quærimus. Horum igitur tam insignium Stoicorum rationem in docenda illa, quę mores ordinat & corrigit, Philosophiæ parte imitari præceptores velim, vt nimirum quæcumque huc facere & vtilia fore censuerint, ex Platone, Xenophonte, Aristotele, Cicerone, Seneca, Epicteto, Plutarcho, Laëitio, Luciano, Antonino, Stobæo, in primis autem ex sacris literis, earumq; interpretibus antiquis Ecclesiæ Patrib. ac Doctorib. Stoicorũ more & ritu digerant, & discenda adulescentib. proponant. Si enim, v. g. Epictetus quispiam, homo à vero Deo, & Veritatis cognitione alienus & extraneus, sic te docere potest: Religionis erga Deos pręcipuũ illud esse scito, rectas de iis habere opiniones: ut sentias & esse eos, & bene justeq; administrare universa: parendum esse iis, & omnibus, quæ fiant, acquiescendũ: & sequẽda ultrò, ut quę à mente pręstantissima regantur. Sic enim nec incusabis eos umquam, nec ab iis negligi te conquereris. Aliter autem id fieri nequit, quàm si iis, quæ in potestate nostra non sunt, relictis, tã bona, quã mala in iis, quę in nobis sita sunt, collocaris. nam si quid illorum senseris esse bonum aut malum, aliter

aliter certè fieri non poterit, quin cùm iis, quæ velles, frustratus fueris, & in ea, quæ nolles, incideris, & culpes & oderis illarum rerum auctores. Siue hoc etiam vsus compendio te instituere mauult: In quouis incepto hæc optanda sunt: Duc me, ò Iupiter & tu Fatum, eò quò sum à vobis destinatus: sequar enim alacriter. quòd si noluero, & improbus ero, & sequar nihilominus. Si etiam Seneca aliquis verbis illis, quæ extrema Epistola centesima septima, & toto illo libro leguntur, quo caussas reddit, cur mala bonis accidant, cùm sit Prouidentia: Hæc, inquam, si tales magistri rationis ductum secuti docere possunt: dubitabimus etiam, an idē Spiritus sancti, qui per Prophetas, Apostolos, Euangelistas & Patres locutus est, ædificatoria salutis nostrę verba, commodè præstare queant?

CAPVT CXIX.

SED quoniam ex Stoïcis nullum habemus hodie, cujus libros Philosophiæ illius summam complexos interpretari præceptores possint, in primis optandum foret, eruditum aliquem Iesuitam has sibi partes sumere, vt Stoicæ rationis corpus quoddam conficiat, & hoc tā illustre sui in bonum publicum studii specimē exhibeat. In rē certè discipulorū nō video, quid magis queat conducere. nā & sine magno labore suo totā illā tātopere priscis sæculis comēndari solitā rationē exiguo libro comprehēsam,

&

& quàm sincerissimè ad Christianæ veritatis libellam repudiatis absurditatibus & ineptiis conformatam habituri ac lecturi essent, & illo dictanti in scholis scribendique onere subleuatis tàm magistris, quàm discipulis, facile foret antiquam Philosophorum de Virtute ac Vitio disserendi audiendique publicè consuetudinem multis pòst sæculis, summa cum rei Christianæ vtilitate revocare ac repetere. Quòd si quis fortè Senecam aut Epictetum omnia Stoicorum placita satis commodè tradidisse, ac proinde idoneos esse putet, qui publicis in scholis proponantur & præceptorum voce illustrentur, ei sic rectissimè ipsius Senecę verbis respondero: Quid ergo, non ibo per priorum vestigia? Ego verò vtar via veteri, sed si propiorem inuenero, hanc muniam. qui ante nos ista monuerunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. multum ex illa etiam futuris relictum est. Veneror inuenta sapientum inuentoresque: adire tamquam multorum hereditatem juuat. mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patremfamiliæ: faciamus ampliora, quæ accepimus. major ista hereditas à me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec vlli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adijciendi. Sed etiamsi omnia à veteribus inuenta sunt: hoc semper nouum erit, Vsus, & inuentorum ab

aliis

aliis ſcientia & Diſpoſitio. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt. Qui præceſſerunt, non præripuiſſe mihi videntur, quæ dici poterant, ſed aperuiſſe. Sed multum intereſt, utrum ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas. Creſcit in dies, & inuenturis inuenta non obſtant. Præterea conditio optima eſt vltimi. Parata verba inuenit, quę aliter inſtructa nouam faciem habent: nec illis manus inijcit, tanquam alienis: ſunt enim publica. Hæc itaque Seneca ipſe pro me reſponderit. Vt autem tanto faciliùs alios ad tam laudabilem operam permoueam, de DISPOSITIONE eorum, quæ in Seneca, Epicteto, Platone, reliquisque illis paullò antè commemoratis huc pertinentia reperiuntur, parumper hic inquirere non ineptum fortaſsis aut alienum fuerit. Tres igitur diuerſas Moralis Philoſophiæ diuiſiones apud Stoicos reperio, quas priùs ordine proponam, tum quę mihi omnium videatur optima, eique, qui Corpus Philoſophiæ Stoicæ conficere velit, amplectenda, quàm poſſum breuiſsimè explicabo. Prima diuiſio, quam ſecuti ſunt Chryſippus, Archedemus, Zeno Tarſenſis, Poſidonius aliique nobiliores Stoici, hos locos complectitur: I. Appetitio. II. Bona & Mala. III. Affectus. IV. Virtus. V. Finis. VI. Prima æſtimatio. VII. Actiones. VIII. Officia. IX. Adhortationes & Dehortationes. quibus locis quid ſignificare ſoliti fuerint, ex iis,

quæ paullò pòst dicemus, planum fiet. Alteram diuisionem Seneca hisce verbis tradit: Moralem in tria diuidi placuit: vt prima esset Inspectio suum cuique distribuens & æstimans quanto quidque dignum sit: maximè utilis. quid enim est tam necessarium, quàm pretia rebus imponere? Secunda, de impetu. Tertia, de actionibus. Primum enim est, vt quanti quidque sit, judices. Secundum, vt impetum ad illa capias ordinatum temperatumque. Tertium, vt inter impetum tuum actionemque conueniat, vt in omnibus istis tibi ipsi consentias. Quicquid enim ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodest, intus æstimata habere omnia, si sis impetu nimius? Quid prodest, impetus repressisse, & habere cupiditates in tua potestate, si in ipsa rerum actione tempora ignores, nec scias quando quidque; & vbi, & quemadmodum agi debeat. Aliud est enim, dignitates & pretia rerum nosse, aliud articulos, aliud impetus refrenare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergò vita sibi concors est, vbi actio non destituit impetum: impetus ex dignitate rei cujusque concipitur, perinde remissus acriorue, prout illa digna est peti. Tertia diuisio, quam idem Seneca Epistolis XCIV. & XCV. copiosissimè exsequitur & defendit, est in Decreta & Præcepta. Decreta siue dogmata vocant Stoici generales quasdam, & magnā partem raras sententias, quæ non ad certam aliquam,

quam, sed ad omnem vitæ partem diriguntur, & universæ hominis animum informant, tantique ea pendunt, vt nullum sine scelere prodi posse existiment. Cùm enim Decretum proditur (ait Cicero) lex veri rectique proditur. Præcepta verò, quæ singulis vitæ partibus inseruiunt, actionesque hominis secundum temporum ac locorum varietatem disponunt, vt cùm verbi gratia præcipitur, quid vir vxori, pater liberis, ciuis ciuibus debeat. Quid interest, ait Seneca, inter Decreta Philosophiæ & Præcepta, nisi quod illa generalia præcepta sunt, hæc specialia? Vtraque res præcipit, sed altera in totum, particulatim altera. Hoc inter illa interest, quod inter elementa & membra. Hæc ex illis dependent: illa & horum caussa sunt, & omnium. Atque istæ quidem sunt diuisiones, quibus in partienda docendaque Morali Philosophia Stoicos olim usos comperio: nunc res videtur postulare, vt quam præceptoribus in docenda ea rationem hodie tenendam putem, exponere aggrediar. Commodissimè itaque facturi mihi videntur magistri, si eam, quę subjecto diagrammate continetur, diuisionem in scholis seu prælectionibus suis obseruent.

Philosophia Moralis est vel

- *Dogmatica, hoc est, tradens Decreta & Paradoxa de*
  - *Æstimatione*
    - *Finis seu extremi.*
    - *Bonorum, Malorum & Indifferentium.*
    - *Honestorum & Turpium.*
    - *Virtutum ac Vitiorum.*
  - *Appetitione siue Impetu, & Auersatione seu Declinatione: quorum diuisionem vide infra cap. 124.*
  - *Sapiente, hoc est, de rectè æstimante & appetente. cap. 125.*
- *Parænetica, quam Clemens Alexand. Pædagogiam vocat, continens Præcepta de*
  - *Appetitionum siue Affectuum Medicina.*
    - *Purgante*
    - *Præseruante.*
  - *Officiis & Actionibus.*

SED quoniam hæc generalia tantùm sunt capita, non malè forsan fecero, si & de modo, quo vel Præceptores, vel quiuis alius Philosophiæ Studiosus in omnibus iis, quæ sparsa apud auctores suprà nobis laudatos inueniuntur, ad eadem reuocandis uti queant, & de vsu ac necessitate tàm Decretorum, quàm Præceptorum hujusmodi paullò enucleatiùs edisseram. In Decretorum itaque tractatione priùs de Æstimatione, tum de Appetitu agendum puto, eaque in re Senecam potiùs, quàm reliquos Stoicos auctores sequi malo: Propterea quod ipsæ Appetitionum species ex Æstimatione proficiscantur. Ex rebus enim peruersè æstimatis, vt ex Stoicorum sententia tradit Laertius, menti quoque peruersitas accidit, ex qua multæ oriantur perturbationes & turbidorum motuum caussæ exsistunt: quod ipsum multis rationibus redditis à Seneca nostro Epistola LXXIV. confirmatur, qui proxima etiam Epistola Morbum definit judicium in prauo pertinax, tamquam valde expetenda sint, quę leuiter expetēda sunt. quæ verba à Chrysippo mutuatus videri potest. Is enim libro de perturbationibus dixerat, Perturbationes siue Affectus esse judicia quædam: nam & amorem pecunię, suspicionem quamdam esse, qua pecuniam honestam esse judicemus, & ebrietatis atque Intemperantię ceterorumque eamdem esse rationem. Sed & Plato multò antè docuerat, ab affectibus superari,

rari, esse inscitiam: & dominari eis sapientiam. Ignorat enim improbus omnis, quænam sint agenda, & à quibus sit abstinendum: propterq; hoc adeò peccatum homines efficiuntur injusti &, vt semel dicam, mali, ait Aristoteles cui Alexander & Ammonius subscribunt, & mala, si expetantur, non sub mali specie, sed tamquam bona optari docent. Omnis enim actio, omnisque proæresis siue consilium bonum aliquod appetere videtur, vt pulchrè veteres id esse Bonum pronunciauerint, quod omnia appetunt. Clemens quoq; Alexandrinus: Nemo, inquit, malum, vt malum, eligit: sed voluptate, quæ inest, abductus, id bonum putans, suscipiendum existimat. Sed hoc paullò pòst, cùm de Appetitu ejusque speciebus agemus, multò etiam fiet planius. Porrò de Finis siue Extremi æstimatione cur primo loco disputandum videatur, superuacuum fuerit caussam dicere, quamuis plerique omnes Stoici de Bonis & Honestis priùs agere consueuerint: quod eò ab ipsis factum est, quia Finem, Bonum, Honestum & Virtutem pro eodẽ ferè accipiunt, neq; re ipsa quicquam inter se differre existimant: in vita certè agenda magis, quàm in disputando in Finem sibi intuendum putant. Nos autem, vt ordine debito procedamus, Aristotelis exemplo de Fine primùm omnium inquiremus. Inutilis enim (ait Plato in Thæeteto) atque adeò noxia est omnis scientia, sine notitia optimi finis.

Finem

Finē verò, seu Extremū, siue summū, ajunt esse, *τὸ ὁμολογουμένως ζῆν conuenienter viuere*, hoc est, *καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν secundum vnam & eandem rationem viuere*, tamquam ii, qui non semper eodem modo ac tenore viuunt, infelices sint & miseri: ab aliis explicatur, congruenter naturæ conuenienterque viuere, siue, viuere scientiam adhibentem earum rerum, quæ natura eueniunt, seligentem, quæ secundum naturam, & si quæ etiam contra naturam sunt, reiicientem: quod Zeno, Cleanthes, aliique Stoici exponunt, secundum Virtutem viuere, quod ad hanc natura nos impellat. Huic vni rei, Virtuti, non posuimus legem; tamquam satis natura cauisset: quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet. Supervacuum est enim, quo natura imus, impelli. quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem cùm nascitur, trahit: ita ne ad hoc quidem, vt honesta per se petat. Placet suapte natura, adeoque gratiosa Virtus est, vt insitum sit etiam malis probare meliora. Sed & vivere secundum naturam sic ab iis exponitur, vt sit Appetere & Auersari, Seligere & Reiicere secundum naturam: Hanc autem velle ac postulare dicunt, vt nostra ac propria tantùm appetamus vel auersemur; aliena neque appetamus neque fugiamus, sed seligamus aut reiiciamus. Nostra porrò dicunt esse,

quaslibet actiones nostras, opinionem, appetitionem & auersationem: Aliena vicissim, quęcumque extra nostram potestatem vel arbitrium sunt posita, id est, omnia quæ ipsi non agimus, vt pecunia, gloria, imperium, valitudo, ipsum denique corpus nostrum. Hoc enim quantum ad nos pertinere judicauerint, declarant hæc M. Tullii verba: Hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt se quisq; noscat. non enim, credo, id præcipit, vt membra nostra, aut staturam figuramue noscamus: neq; ego, Tibi, dicens, corpori tuo dico. Cùm igitur Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum. nam Corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculũ ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Et hæc Senecę: Quod de veste dixi, idem de corpore me existima dicere. Nam hoc quoque natura, vt quandam vestem animo circumdedit. Velamentum ejus est. Et hæc Epicteti: Quid ais? Corpus cùm integrum esse vis, estne penes te hoc, an non? Non est penes me. Cùm rectè valere? Ne hoc quidem. Cùm esse pulchrum? Neque hoc. Viuere aut mori? Neq; hoc. Igitur corpus alienum est, cuiuis fortiori obnoxium. Totum ergò corpus ita te habere oportet, vt asellum, clitellis onustum, quatenus licuerit & datum fuerit. Sed si vis allata fuerit, & miles arripuerit, omitte, ne renitere, ne murmura. nam alioqui plagis etiam acceptis, nihilominus asellum amittes. Quod si erga

cor-

corpus te ſic affectum eſſe decet, vide quid de ceteris ſtatuendum ſit, quæ corporis gratia comparantur? Cùm aſellus ſit Corpus, cetera freni ſiunt aſelli, clitellæ, ſoleæ, hordeum, fænum. Omitte illa etiam, & citius atque expeditius abſolue, quàm aſellum. Obſeruatione porrò digniſſimum hoc eſt Decretum, quod Simplicius etiam Stoicæ doctrinæ fundamẽtum vocat, & Socratis ac Platonis exemplo, quo animum fabro, corpus malleo comparare ſolent, idem confirmat.

CAPVT CXXI.

IAM vt de BONI æſtimatione agamus, quæ non magis eam diſciplinam, de qua loquor, quàm vitam fortunaſque noſtras continet, primum omnium quædam eius diuiſio præmittenda fuerit, non illa quidem pro ea, quam ſibi arrogabant Stoici, Dialectices peritiâ ſubtiliter inuenta, ad ipſorum tamen Philoſophandi rationem faciliùs intelligẽdam non inutilis. Illam igitur & quaſdam eius partitiones ſecundarias ſeu ſubdiuiſiones more meo Schematiſmo ſeu diagrammate deformatam exhibebo, paucíſque verbis (nam omnia, quæ res poſtulat, in medium afferre, & quæ pugnãtia multi Stoicorum videntur docuiſſe, rectè conciliare voluminis res fuerit) illuſtrare conabor.

Stoici igitur diuidunt ea, quæ

- *Sunt, in*
  - *Bona*
  - *Mala*
  - *Indifferentia, siue Neutra, seu Media.*
- *fiunt appetitu, siue actiones in*
  - *Officium*
    - *Perfectum κατόρθωμα*
    - *Medium καθῆκον.*
  - *Præter officium seu Peccatum*
  - *Neutrum.*

Cùm autem bonum non vno modo etiam ab ipsis Stoicis dici soleat, priusquã eius Boni, quod propriè Bonum esse volunt, definitionem proponamus, aliquot eius distinctiones verius, quàm diuisiones considerare operæpretium fuerit.

I. Bona

CAPVT CXXI.

I. Bona alia sunt
- Animi, eaq; vel
  - Habitus, vt institutiones siue studia & diuinatio, & simila.
  - Affectiones, vt Virtutes omnes.
  - Neutra, vt actiones virtutibus consentaneæ.
- Externa, vel
  - Corporis, vt robur, forma, valitudo.
  - Fortunæ, vt habere amicum probum, inclitam patriam.
- Neutra, vt si quis ipse studiosus beatusq; sit: siue, vt est apud Sextum Empiricum, esse bonum virum, quod ad se attinet, neq; enim fieri potest, vt ipse sit extra se: neq; in anima, cùm ex anima & corpore constet.

II. Bona alia sunt

- Τελικὰ, ad finem pertinentia, vt fortitudo, magnanimitas, gaudium, indolentia, prudens interrogatio, & omnes actiones virtuti consequentes. Et hæc per se sunt expetenda.
- Ποιητικὰ, efficientia, quæ ad aliud quid viam parant, vt vir prudens & amicus & ab eo profecta emolumenta.
- Vtrumq; , vt sapientia, & quæuis virtutes. nam simul beatitudinem efficiunt, & vt partes, explent.

III. Bona alia sunt

- Mixta, vt liberorum multitudo, & probitas, & leuis senectus: Εὐτεκνία, Εὐγηρία & Εὐζωία quorum definitiones apud Stobæum videre est.
- Simplicia, vt scientia, seu firma & certa rationis comprehensio.

IV. Bona alia sunt

- Semper præsentia, seu necessaria vt Virtutes cum suis functionibus sensus sanus, appetitio prudens.
- Non semper præsentia, nec necessaria, vt deambulatio, spes, prudens responsum, studium, gaudium, vt Zeno censet apud Stobæum: sed dissentit Seneca epist. 27. & de vita beat. cap. 4. & sapientem semper in Gaudio esse contendit.

Secun-

V. *Bona alia sunt*

- *Secundum naturam, siue, prima, ad quæ sapiens ex proposito venit, vt victoria, boni liberi, patriæ salus: his enim gaudere secundum naturam est.*
- *Contra naturam, seu secunda, quæ non apparent, nisi in rebus aduersis, vt fortiter tolerare exsilium, obstare tormentis, & sitim pati, vrente morbo præcordia. quamuis non tam bonum, quàm boni materia contra naturam sit.*
- *Media, siue tertia, quæ nihilo magis secundum naturam sunt, quàm contra naturam, vt prudenter ambulare, compositè sedere. non enim minùs secundum naturam est, sedere, quàm aut stare aut ambulare.*

VIB *onũ aliud est*

- *Ex quo & à quo licet iuuari, siue, à quo peti vtilitas potest: cuiusmodi in primis est Virtus: ab ea enim, tamquam ab aliquo fonte, naturaliter vniuersa oritur vtilitas.*
- *Per quod contigit nos iuuari, siue, secundum quod vtilitas prouenit. & sic Bona sunt, non solum Virtutes, sed & actiones Virtutum.*
- *Quod potest nos iuuare seu, nobis prodesse, cuiusmodi sunt, præter Virtutes actionesq; virtutum, amici, & boni viri, Diiq; & boni genii.*

Ex his etiam, quid de Malis existiment Stoici, cuius perspicuum est, vt ita plura de ijs afferre minimè sit necessarium. De Indifferentibus nonnihil dicendum est, quorum triplicem diuisionem reperio: vnam, ratione Æstimationis seu pretij, quod rebus imponitur: alteram, ratione Appetitionis aut fugæ, qua in res ferimur, aut ab ijs declinamus: postremam, ratione subiecti, in quo res ipsæ insunt: id quod ex hac nostra hypotyposi fiet planius.

I. Indifferentia siue Adiaphora alia sunt

- *Præposita, seu Præcipua seu Producta seu Promota, seu Commoda, seu Proëgmena, q̃ habent ἀξίαν seu pretiũ, seu dignitatẽ, siue æstimationem*
  - *Maiorem, siue, in quib. satis causæ est, cur aliis anteponantur*
  - *Minorem, siue, in quib. nõ satis est causæ, cur aliis præferantur*
    - *Horum alia sunt præposita*
      - *Per se, vt ingenium &c.*
      - *Quia, progreßio ad virtutem quidam habitus oris & vultus, status, motus.*
      - *Quod ex se aliquid efficiant, vt diuitiæ, nobilitas, excellẽs forma.*
      - *Ob vtrumq́; vt integritas sensuum, sanitas, bona fama*

Re-

Reiecta seu Reiectanea seu Remota seu Incommoda, seu Apoproëgmena, quæ habent ἀπαξίαν seu deæstimationem siue indignitatem.

- Maiorem, vt quæ satis causæ habent cur reiiciantur
- Minorem, vt quæ non satis habent causæ cur reiiciantur

Horum alia reiiciũtur

- Per se, vt ἀφυΐα. proclivitas ad vitia & affectus Ἐυεμπλωςία, stupor.
- Quod ex se aliquid efficiant, vt paupertas, ignobilitas, insignis deformitas.
- Ob vtrumq́ʒ, vt surditas, cæcitas, morbus, mala fama.

Neutra, quæ neqʒ æstimes, neqʒ reiicias, sed non cures vel cõtemnas, vt capillos nigros aut flauos, pares aut impares habere; digitum porrigere vel contrahere; & ex quorundam sententia benè vel malè audire, quod mihi tamen Præpositis & Reiectis videtur addendum.

Obseruandũ de maiore tantùm Æstimatione hic mentionẽ fieri: nam quod maximã habet, Bonũ est, vt Stobæus monet. Porrò ipsius ἀξίας siue Æstimationis huiꝰ distinctio talis apud Laertiũ & Stobæũ exstat.

Æstimatio alia est

Eligens, quæ duobus propositis alterum malumus vt sanitatem, quàm morbum; vitam, quàm mortem; diuitias, quàm paupertatem: estq́ue electio hæc (ait Stobæus, nescio quàm Stoicè) in bonis tantùm, non in Indifferentibus. Laërtius hanc esse ait comparationem quandam cum vita conueniente, quæ versetur in omni bono. Sic illi; sed ego puto hanc esse duorum Indifferentium. Præcipuorum quidem, non tamen Bonorũ, vt illi imperite loquuntur, comparationem.

Remuneratio eius, quod sub æstimationem cadit, quam rerum peritus definiturus est, vt si frumẽtum cum hordeo, adiecto mulo, exæquari dicamus: si morbum cum gloria sanitati præferamus, indicio tamen, non appetitu. estq́ue in homine ait

Stobæus,

Stobæus, non in rebus sed ego hanc puto esse Indifferentium duorum aut plurium cum vno compensationem, siue illa indifferentia præcipua sint siue reiecta

Donatio per se, id est, iudicium de re, eam secundum naturam esse, vel ei vsum adferre, siue, vt Laërtius tradit, est media quædam facultas siue vsus, qui ad vitam naturæ conuenientem refertur, vt si diuitias aut sanitatem ad vitam naturæ conuenientem refertur, vt si diuitias aut sanitatē ad vitam naturæ conuenienter viuendam referri dicamus. Hanc existimo esse rei vnius per se & absolutam considerationem.

F

II. Indifferentia alia cient

- *Appetionem siue eliguntur, quamuis ad beatè viuẽdum, ad quod vsus eorum refertur, nihil conferant, tantùm quia sunt secundum naturam siue*
  - *Vt principia naturæ, veluti motus vel affectio cum ratione conueniens, vt sanitas, sensus*
  - *Per communionem, cum quibus motus vel affectio communicatur, vt sanum corpus, sensus integri.*
- *Auersationem siue fugam, hoc est, neq; reiiciuntur, quamuis miseram vitam non efficiant, tantum quia sunt præter naturam, vt morbus, imbecillitas.*
- *Neque appetitionem neq; auersationem, hoc est, neq; eliguntur, neq; reiiciuntur, quia neq; Secundum, neq; præter naturam sunt, vt in animo cõstitutio falsarum opinionum; in corpore, vulnerum capax.*

Præ-

III.

Indifferentia alia sunt
- *In animo, vt*
  - *Præposita, ingenium, progressio ad virtutem, memoria, acumen, artes.*
  - *Reiecta, ingenij tarditas, obliuio, stupor, inertia.*
  - *Neutra, imaginatio, assensus.*
- *In corpore, vt*
  - *Præposita, sanitas, sensuum integritas, vires, pulchritudo.*
  - *Reiecta, morbus, surditas, cæcitas, imbecillitas, deformitas.*
  - *Neutra, capilli nigri aut flaui, barba breuis aut promissa.*
- *Extra*
  - *Præposita, parentes, liberi, nobilitas, opes, bona fama.*
  - *Reiecta, orbitas, ignobilitas, Paupertas, infamia.*
  - *Neutra, fuisse Neapoli vel non fuisse.*

In his igitur tabulis non semel Bona appellari videas, quæ alioquin Commoda tantũ sunt, & Indifferentia siue *ἀδιάφορα* (vt apud Stobæum videre est) vocantur, cùm tamẽ ex Stoicorum sententia nihil Boni rationem habeat, quo quis aliter, quàm benè, vti, si velit, queat.

Huius autem Boni definitionem apud Laërtium istam legimus: Bonum est id, quod perfectum est secundum naturam eius, quod rationis particeps sit, vel quasi rationi particeps: cujusmodi est Virtus, sicque participatione eius & actiones secundum Virtutem, & probi homines Boni intelliguntur. Apud Sextum alij Bonum dicunt, quod per se sit eligendum: alij, quod conferat ad beatitudinem: alij, quod compleat felicitatem. quæ felicitas (ait Stobæus) nihil illis aliud est, quàm bonus vitæ fluxus. Apud Ciceronem sic finit Cato: Ego assentior Diogeni, qui Bonum definierit id, quod esset natura absolutum. Seneca inter alias Boni definitiones hanc maximè probat: Bonum est, quod ad se impetum animi secũdum naturam mouet, & ita demum petendum est, cùm cæpit esse expetendum. quamuis tamdem sic potiùs definiendum putet: Bonum est, quod secundum naturam est perfectè. Illud, *Perfectè*, addidit, quòd multa quidem naturæ consentiant, sed tam pusilla sint, vt illis non conueniat Boni nomẽ. Epictetus Bonum nostrum ait esse verum vsum visorum: in quorum verborum interpretatione docet Simplicius, verum illum vsum visorum in eo consistere, vt primùm quidem rectam de rebus omnibus opinionem habeamus; tum, vt quæ bona esse apparuerit, appetamus: quæ mala, auersemur; postremò, vt opinioni & appetitui actiones nostræ respondeant. Sed hoc scilicet de Hominis bono intelligendum est, quod in se habet homo,

velut

velut commentario extremo in primum Enchiridij Epicteti caput idem simplicius demonstrat, quod & facit Seneca epistola LXXVI. vbi & ista legimus: Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio. hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergò perfecta, proprium hominis bonum est: cetera illi cum animalibus satisque communia sunt. Hæc ratio perfecta, Virtus vocatur, eademque honestum est. Et ibidem: Dicimus & illa Bona esse, quæ à Virtute profecta contractaq; sunt, id est, opera eius omnia: sed ideò vnum ipsa bonum est, quia nullum sine illa est. Vnum id Bonum est, quo melior animus efficitur. Omnes actiones totius vitę honesti ac turpis respectu temperantur: ad hæc faciendi & non faciendi ratio dirigitur. Sed nos hic simpliciter de Bono agimus, de hominis bono, siue, summo bono paullò post disputaturi. Bona igitur omnia illa sunt, quæ Ratio bona esse dictauerit. Ratio enim arbitra est bonorum ac malorum: aliena & externa pro vilibus habet, & ea quæ neque bona, neq; mala sunt, accessiones minimas ac leuissimas iudicat: omne illi bonum in animo est. Cetera opinione bona sunt, & nomen quidem habent commune cum veris: proprietas in illis boni non est. Itaque *Commoda* vocentur, &, vt nostra lingua loquar, *Producta*. Sed alia est Commodorum conditio, alia bonorum. Commodum est, quod plus vsus habet, quàm molestiæ. Bonum sincerum esse

debet, & ab omni parte innoxium. Non est id Bonum, quod plus prodest, sed quod tantùm prodest: propterea Commodum & ad Animalia pertinet, & ad imperfectos homines & ad stultos: itaque potest ei esse incommodum mixtum, & alias esse Commodum, alias in commodum, vt diuitiæ sub tyraño nocent & periclitari faciunt, paupertas securum esse sinit. Sed Commodum dicitur à maiore sui parte æstimatum. Bonum ad vnum sapientem pertinet, inuiolatum esse oportet. Ceterùm de indifferentibus operæpretium fuerit, quæ à Seneca epistola XXCII. differuntur, attentè considerare, illisque generalia quædam de Bono decreta adiungere, & subtilius ex varijs eorum quos dixi, auctorum locis explicare. Ejusmodi Decreta sunt: Omne bonum esse summè expetendum, & neque intendi, neque remitti posse, siue, progressionem non habere, hoc est, non recipere magis & minus: Omnia bona esse paria: Quicquid bonum sit idem esse vtile, & opus, & conducibile, & vtibile, & Commodum, & honestum, & emolumentum afferens, & expetendum, & justũ: Indifferentia nec prodesse, nec nocere, cùm prodesse sit motus vel status è Virtute: nocere, motus vel status è Vitio.

CAPVT CXXII.

ATQVE hæc pauca ad illustrandam eorum, quæ sunt, diuisionem Stoicam dixisse satis sit: Quæ

Quæ fiunt appetitu, ea, vt diximus, diuidunt in officium, & id quod Præter officium appellant, & neutrum. Sic enim ex Zenone; vt apparet, scribit Laërtius: Earum, quæ ab appetitu proficiſcuntur, actionum quædam eſſe officia, quædam præter officium. Officia eſſe, quæcumq; ratio fieri poſtulat, vt parentes, fratres, patriam, colere, cõiunctè cum amicis viuere. Præter officium autem, ſiue Peccata, quæcumq; ratio fieri non poſtulat, vel quæ præter rectam rationem fiunt, ſiue, in quo officij aliquid omiſſum eſt, veluti parentes negligere, de fratribus nihil cogitare, amicorum rebus non æquè atque illos affici, patriam deſpicere, & his ſimilia. Quæ verò ratio fieri neque poſtulat, neque vetat, hæc neque officia ſunt, neque præter officium, vt ſtipulam attollere, calamum, ſtrigilem habere, & reliqua eiuſdem generis. Porrò Decreta de officio eiuſq; diuiſione (qua aliud Perfectum ſeu κατόρθωμα, πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμοὺς *omnes habens numeros*, hoc eſt, actio Virtuti conſentanea, prudens ſcilicet, fortis, iuſta, temperans; aliud Medium ſeu καθῆκον appellatur, quod ita factum eſt, vt eius probabilis ratio reddi poſſit, vt vxorem ducere, legatione fungi, diſputare, & ſimilia, quæ indifferentibus quibuſdam definiuntur) ex Ciceronis tertio de finibus peti queunt: ſiquidem libri de officijs, *Præcepta* potius, quàm *Decreta* tradunt, velut ex his ipſis Tullij verbis perſpicuum eſſe poteſt: *Omnis de officio duplex eſt quæſtio. Vnum genus eſt, quod pertinet ad*

finem bonorum: alterũ, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes vsus vitae confirmari possit. Superioris generis huiusmodi exẽpla sunt: omnia ne officia perfecta sint: numquid officiũ aliud alio maius sit, & si quae sunt generis eiusdem. Quorum autem officiorũ praecepta traduntur, ea, quamquam pertinent ad finẽ bonorũ, tamen id min⁹ apparet, quia magis ad institutionẽ vitae cõmunis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandũ. Hunc locũ interpres non ordine tantùm sed & genere ipso postremus non intellexit: neq; id tamen mirum est. alios enim explanatores requirit Cicero, Muretos scilicet & Turnebos aliquos, hoc est, eos, qui admirãdis p̃diti ingenijs omnes Latinos & Graecos auctores diligentissimè euoluerint, neque doctrinam suam Indicibus librorum conclusam habeant. Quis autem ex ijs, quae de Philosophiae Moralis diuisione suprà diximus, non iam videat, nolle Ciceronem Decreta persequi, sed Praecepta tantùm de officijs explicare? Quare hoc loco tractanda erunt Decreta officiorum, eaq; ex tertiò, vt dixi, de finibus, Laërtio, Seneca & Epicteto praeter ceteros petita. Sequitur, vt de Honestorum & Turpium aestimatione videamus; quem locum paucis hisce verbis cõplexus est Cicero: Honestum aut ipsa Virtus est, aut res gesta virtute & Laërtius: Honestũ, inquit, perfectũ bonũ iccirco dicunt Stoici, quia numeris omnib. requisitis à natura sit expletum, siue, quod perfectè moderatum est. Quod honestũ est, id solũ

bonum

bonum esse ajunt; hoc autem esse Virtutem, quodque Virtutis particeps sit; quod idem est, ac quicquid bonum est, id etiam esse honestum, &, quod eamdem vim habet, quicquid honestum sit, id etiam bonum esse: quoniam alterum alteri consequens est, siue, quia, vt vulgo dicunt, sunt termini reciproci ac conuertibiles. Porrò tanti hoc Decretum suum, quo Honestum & Bonum idem esse affirmatur, fecerunt Stoici, vt vitas & fortunas nostras omnes eo contineri dicerent, velut Cato apud Ciceronem tertio de finibus, sed copiosius Seneca tota Epistola LXXIV. itemque LXXVI. disputando contendunt. Ac quamuis alicubi doceat idem Seneca, Bonum & Honestum Stoicis non esse diuersa, sed diuisa: epistola nihilominus CXVIII hoc affert inter ea discrimen: Aliquid inter se habent mixtum & inseparabile, nec potest bonum esse, nisi cui aliquid honesti inest, & honestum vtique bonum est. quid ergò inter duo interest? Honestum est perfectum bonum, quo beata vita completur, cujus contactu alia quoque bona fiunt. quod dico tale est: Sunt quædam neq; bona, neq; mala, tamquam militia, legatio, jurisdictio. Hæc cùm honestè administrata sunt, bona esse incipiunt, & ex dubio in bonum transeunt. Bonum societate honesti fit, honestum per se bonum est. Bonum ex honesto fluit, honestum ex se est. Quod bonum est, ma-

Et hujusmodi Virtutes vocant *Heroicas*, quas à ceteris Moralibus (quas appellant) virtutibus non modo tantùm & excellentia, sed ortu etiam & caussa conficiente differre existimant: cùm Moralis virtus hominis industria & consuetudine comparari possit: Heroica, nisi præueniente & adjuuante diuina gratia, nemini obtingat. *Heros* ergò Aristotelius est, qui se supra communem hominum sortem virtute longè extulit, omnia humana infra se ducit, bona quæ ceteri mortales magni pendunt, pro nihilo habet, nulla re dolet, nulla effertur, non irascitur, non metuit, nulla deniq; passione vel perturbatione è sede sua excelsa, de qua veluti Deus quidam hæc infera despicit, permouetur: quale est, quod Socratem eodem semper vultu in diuersissimo quamuis tam priuatæ, quàm publ. rei statu visum fuisse legimus. At hic ipsissimus est Stoicorum sapiens, quem solum Virtute positum esse volunt. nam ceteros, qui sæpiùs atque adeò plerumque quidem rectè & ex virtute agere videantur, nonnumquam tamen aliqua in re peccent neque congruenter rationi aut virtuti viuant, nequaquam Sapientum nomine dignantur, cùm eos illo saltim momento, quo peccant, ignoratione expetendorum & fugiendorum labi appareat. quod quidem ita planum certumque est, vt neque ipse Aristoteles id omninò negare ausus fuerit. Incontinentem enim in ipsa incontinentiæ actione fatetur esse

esse furioso ac dormienti similem, cujus usque eò obscurata sit scientia, vt ignorans videri queat. Putat scilicet jucundum præ honesto sibi expetendum, clausisque, vt ita dicam, oculis tota animi cogitatione atque impetu ad Voluptatem fertur. Hunc autem quis rerum expetendarum scientiam illo saltim puncto habere credat? Atque eam ob rem Stoici in eo scientiam expetendorum & fugiendorum quouis etiam alio tempore inesse negant. Denique obseruandum est, si sola Heroica virtus, quam Aristotelis sectatores perfectam esse dicunt, Virtutis nomen obtineat, vt quidem Stoici volunt, qui quicquam imperfecti in Virtute agnoscere nefas ducunt: non nimis magnam Peripateticis, nisi de vocabulis, litigandi cum Stoicis materiam relinqui. Porrò Virtutes Stoici alias faciunt principes, quas Theologi nostri Cardinales vocant, quarum Prudentiam circa officia, Iustitiam circa distributiones, Fortitudinem circa ὑπομονὰς tolerantias, Temperantiam circa appetitiones versari ajunt: alias his subjectas, velut ex hoc diagrammate videre est:

Vir-

Virtutes

- *Principes, vi*
  - *Prudentia, quæ est ſcientia faciendorum & non faciendorum, & neutrorum vel vtrorumq; ſiue, bonorum, malorum & neutrorum animalis natura ciuilis.*
  - *Iuſtitia, quæ est ſcientia ſuum cuiq; tribuendi & ſocietatem coniunctionis humanæ munificè & æquè tuendi.*
  - *Fortitudo, quæ est ſcientia rerum formidoloſarum, contrariarumq;, aut omninò negligendarum, conſeruans earum rerum ſtabile iudicium.*
  - *Temperantia, quæ est ſcientia moderandarũ ex rationis imperio cupiditatum, regendorumque animi motuum. ad quam in primis pertinet Decori illius conſeruatio, de quo præclara est Ciceronis diſputatio 1. de offic.*

Subiecta

Cap. CXXIII.

- *Subiectæ principibus, ut*
  - *Prudentia*
    - Εὐβουλία *ſeu Recta Conſultatio, ſcientia conſiderandi qualibus rebus & quomodo agendis vtiliter agamus.*
    - Εὐλογιστία *ſeu Ratiocinatio, ſcientia inita ſubductaq; ratione rerum, quæ geruntur: ſummam faciendi.*
    - Ἀγχίνοια *ſeu ſolertia; ſcientia officii illico inueniendi.*
    - Νουνεχεία *ſeu Conſideratio, ſcientia in vnaquaq; re Scopum attingendi.*
    - Εὐμηχανία *ſeu Induſtria, ſcientia rerum exitus inueniendi. Induſtriam voco abinduſtruendo, ut eſt apud Feſtum.*
  - *Iuſtitia*
    - Εὐσέβεια *ſeu Religio, ſcientia colendi Dei.*
    - Χρηστότης *ſeu Beneficentia, benefaciendi ſcientia, cuius actio vulgo dicitur Eleemoſyna.*
    - Εὐκοινωνησία *ſeu communicabilitas, ſcientia æqualitatis in communione*
    - Εὐσυναλλαξία *ſeu commercialitas, ſcientia honeſtè cum aliis contrahendi.*

Κα[g-]

Fortitudini

- Καρτερία seu Tolerantia, ſcientia in iis, quæ rectè iudicata ſunt, permanendi.
- Θαῤῥαλεότης ſeu Fidentia, ſcientia, qua nihil nobis aduerſi euenturum, præcipimus.
- Μεγαλοψυχία ſeu Magnanimitas ſcientia ſeparandi ea, quæ communiter probis & improbis contingunt, ſuperandi ſiue infra ſe eſſe exiſtimandi.
- Εὐψυχία ſiue Animoſitas ſcientia animi ſe inuictum præbentis.
- Φιλοπονία ſeu Alacritas ſiue Gnauitas, ſcientia exefficiendi quæ inſtitueris: labore non deterrita.

Temperantia

- Εὐταξία seu *Modestia*, *scientia earum rerum, quæ aguntur, suo loco & tempore agendarum, siue, scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.*
- Κοσμιότης seu *Decentia, scientia decentium ac turpium motionum. Cicero Ornatum vitæ vocat.*
- Αἰδημοσύνη seu *Verecundia, scientia vitandi probri, sive, non offendendi homines.*
- Ἐγκράτεια seu *Continentia, Scientia rectæ rationis tenax, siue, ea quæ recta postulat ratio, minimè prætergrediendi, siue, voluptatibus non succumbendi. Cicero non semel etiam Constantiam vocat.*

Ex his, quæ ſit vitiorum ratio, facile intelligitur. Neque verò cuiquam mirum videri debet, omitti à Stoicis nonnulla alia, quæ apud Peripateticos in Virtutum ac Vitiorum catalogo recenſeantur: ſiquidem ea Stoici partim inter Conſtantias, hoc eſt, animi cum ratione commotiones; hiſque oppoſitas *Perturbationes*, partim inter conſequentia Virtutem ac Vitium, partim inter Effecta perturbationum numerant. Ita *Liberalitas* Ariſtoteli eſt Virtus, Prodigalitati & Auaritiæ oppoſita. Stoici Libertatem Officium à Iuſtitia profectum, Prodigalitatem, Præterofficium, Avaritiam verò morbum vel ægrotationem vocant. Eademque prorſus Affabilitatis, Comitatis & ſi quæ ſunt generis ejuſdem, vitiorumque iis oppoſitorum eſt ratio, velut ex iis, quæ infra dicemus, apparebit.

Monendus eſt autem Stobæi Lector, ne turbetur, quod apud eum μεγαλυψυχία modò ſcientia eſſe dicatur, modò negetur, vt cum de Bonis agit, eorumq; alia Virtutes eſſe ait, alia negat: Et virtutum quidem alias ſcientias eſſe & artes, alias non eſſe, vt μεγαλυψυχίαν, ῥώμην καὶ ἰσχὺν ψυχῆς. Nam ſine dubio vel librarii, vel memoriæ ipſius Stobæi id peccatum eſt. Nam is ipſe pagina CLVIII. enumerans ea, quæ facultates, non ſcientias neque præceptis, ſed exercitio conſtare

ait,

sit; nominat ὑγείαν τῆς ψυχῆς animi sanitatem, καὶ τὴν ἀρτιότητα integritatem, καὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῆς, robur eius, καὶ τὸ κάλλος, pulchritudinem. Dici autem non potest, quanta fuerit eorum, qui Decreta Stoicorum collegerunt, in primis Laertii ac Stobæi ῥᾳθυμία & oscitantia, vt non mirer hanc tam præclaram Philosophandi rationem tot iam sæculis nullos inuenire amatores potuisse. Ignoti enim nulla cupido est.

Hic porrò nobiliora illa Stoicorum Decreta commodè tractari poterunt, cujusmodi est: *Virtutem* doceri posse, siue, acquiri doctrina, idque hinc probari, quod ex malis bonos fieri videamus. *Cuius* argumenti Stoici vim non satis assecutus est Aldobrandinus doctissimus Laertii interpres & explanator. Stoici enim, vt modò demonstrauimus, Vitia ignorantias esse putant, Virtutes verò scientias. Si ergò ex ignorante, hoc est, ex malo bonum vel scientem euadere contingat: rectè doceri posse Virtutem existimant, neque vllam Aristoteliæ diuisionis in ἠθικὴν καὶ διανοητικὴν rationem ducunt. *Aliud* Decretum est: Virtutes esse inter se connexas, vt qui vnam habet, habeat & reliquas: quod idem de vitiis credi volunt, quamuis non æq; in eodem homine omnia apparere soleant. Non hoc dicimus (ait Seneca) sic omnia

vitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent: sed malum ac stultum nullo vitio vacare. nec audacem quidem timoris absoluimus: ne prodigum quidem auaritia liberamus. quomodo homo omnes sensus habet, nec ideò tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem: sic qui stultus est, non tam acria & concitata habet omnia, quàm quidam quædam. Omnia in omnibus vitia sunt, sed non omnia in singulis exstant. Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus est: aut si nondum deditus, ita formatus, vt in hoc illum sui mores ferant. Itaque nemo non ingratus est, qui malus est. Habet enim omnia nequitiæ semina. Tamen propriè ingratus appellatur, qui ad hoc vitium vergit. Sic omnes malos dicimus intemperantes, auaros, luxuriosos, malignos: non quia ista omnia singulis magna & nota vitia sint, sed quia esse possint; & sunt, etiamsi latent. *Aliud* porrò Decretum est: Virtutes esse pares, & quod omnino de Bono ac Honesto dicunt, nec crescere, nec minui, sed tãtùm fundi ac velut dilatari: eamdemq; Vitiorum ac peccatorum rationem esse contendunt, ea scilicet esse paria, neq; aliud alio maius esse: quod etiam decretum *Paradoxon* est, siue *Admirabile* (sic enim Stoici sententias dogmaticas, ad beatè viuendum, vt Cicero ait, breuiter enunciatas, easdemq; prima specie incredibiles appellant, iisq; non secus, quàm Epicurei

κυρίαις δόξαις, Peripatetici ἀξιώμασι suis vtuntur) & à Cicerone, Seneca, aliisque sic explicatur, vt non nisi verborum insolentia Christianas aures possit offendere. Peccata enim statu, non gradu, genere (vt Cicero loqui solet) & affectu, non effectu paria esse dicunt: quòd peccare sit tamquam transilire lineas, quod cùm feceris, culpa commissa est: quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet: & quicquid peccatur, perturbatione peccatur rationis atq; ordinis: perturbata autem semel ratione & ordine, nihil potest addi, quo magis contra rationem peccari posse videatur. Neque verò opponi eis potest, si paria sint peccata, pœnas quoq; pares futuras, neq; aliud alio grauiùs plectendum esse. Sicut enim peccata fundi ac dilatari dicunt, quamuis crescere ea minuiue negent, ita pœnas quoque extendi potiùs, quàm ingrauescere debere respondent. Vt omittam, quod quæ grauiora peccata vulgo existimantur, ea Stoici plura potiùs esse arbitrantur. Grauiùs ergò punitur, qui patrem, quàm qui seruum occidit, non quia grauiùs, (vt ipsi volunt) sed quia sæpiùs, vel pluribus peccauit. Violauit enim eum, qui procreauit, eum qui educauit, eum qui erudiuit, eum qui in sede ac domo atque in Repub. collocauit. Quo accedit, quod quamuis æqualia dicant peccata, quasdam tamen in illis cerni differentias affirmant, cùm alia de dura & insanabili

insanabili affectione oriantur, alia non item: & æqualia quidem dicunt, non similia. Cùm enim ab vno vitii tamquam fonte profluant, judicio in omnibus eodem exsistente, per externam eorum caussam, de quibus judicium fiat, dissimilia reddi peccata: id quod hinc ajunt colligi posse. Omne mendacium est æquale, nec aliud alio magis est falsum. Sed quamquam omne mendacium æque est mendacium, non tamen omnes, qui mentiuntur, æque mentiuntur. Similiter omne peccatum (inquiunt) æque est peccatum, quandoquidem omne peccatum mendacio constat.

Docent etiam inter Paradoxa, Virtutem semel possessam numquam amitti, nec excidere posse: quòd nimirum Virtus sit scientia, quæ nullo modo ex animo, in quo sedem sibi fixerit, euelli neque in Ignorantiam conuerti possit. Seneca hanc rationem reddit: Semel traditi boni perpetua possessio est. non dediscitur Virtus. Contraria enim mala in alieno herent: ideò expelli & exstirpari possunt. Fideliter sedent, quę in suum locum veniunt. Virtus secundum naturam est, vitia inimica & infesta sunt.

CAP. CXXIV.

SED longum nimis sit, si quæcumque ex auctoribus excerpta hic tractari possint, persequi in præsentia velimus. quare digitum tantùm aliis ad rationem, qua disponere talia queant, inten-

tendere volumus, & ad Decreta Appetitionum accedimus. Verumtamen quia res tota nimisquam intricata eſt, & bene magnam ac copioſam, vt rectè intelligatur, explanationem requirit, ſchematiſmis more noſtro eam adumbrabimus, paucisque verbis illuſtriorem faciemus. Appetitio igitur ſiue Appetitus, aut Impetus, aut Adſcitus denique (hæc enim ejusdem rei ſunt vocabula) ejusq; contrarium Auerſatio, ſeu Depulſio, ſiue Declinatus ſic diuiditur.

- *Appetitio et Depulſio, alia*
  - *Naturalis, & ſine motu: eaq; vel*
    - *Prima, quæ omni animantium generi à natura eſt tributa, vt ſe vitam corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur: omniaq; ad viuendum neceſſaria inquirat & paret. Hæc tamen propriè non eſt* Appetitio: *quia quæ prima ſunt naturæ, non propter ſe expetuntur, ſed ſeliguntur tantùm vel reiiciuntur, cùm non ſint finis. Senec. epiſt. 92.*
    - *Conſequens: qua poſtquam diſpicere cœperimus & ſentire, quid ſimus, & quid ab animantibus ceteris differamus, ea ſequi incipimus, ad quæ nati ſumus: h. e.* Virtutem, *ſeu Honeſtum. Hoc enim magis ſecundum naturam, imò finis eſt, ſeu ſummum bonum ac propterea hoc propriè dicitur* Appeti. *In-*

Iudicio ſuſcepta, & cum motu aliquo : eſtq́ commotio vel

- *Vehementior ac ſine ratione, diciturq́ πάθος, quod Cicero plerumq́ Perturbationem, Seneca Affectum conuertit. Hæc non cadit in ſapientem. vid. A.*
- *Conſtans, & prudens & cum ratione, diciturq́ ὁρμὴ vel Εὐπάθεια ſiue Conſtantia, & cadit in ſapientem. vide B.*

Sed hic non videntur prætermittenda, quæ de Appetitione animalis ratione præditi à Stobæo referuntur. Definit eam φορὰν διανοίας ἐπί τι τῶν ἐν τῷ πράττειν *impetum intellectus ad aliquid agendum.* Species eius has enumerat.

I. Προ-

CAPUT CXXIV.

I. Πρόθεσις, *quæ est* σημείωσις ἐπιπλέος *designatio*

II. Ἐπιβολὴ, ὁρμὴ πρὸς ὁρμῆς. *appetitus ante appetitum.*

III. Παρασκευὴ, *actio ante actionem.*

IV. Ἐγχείρησις, *appetitus ad aliquid iam exsistens.*

V. Αἵρεσις, *voluntas ex ratiocinatione.*

VI. Προαίρεσις, αἵρεσις *ante* αἵρεσιν.

VII. Βούλησις, εὔλογος ὄρεξις *cum ratione coniunctus appetitus.*

VIII. Θέλησις, ἑκούσιος βούλησις. *Spontanea voluntas.*

A. Perturbationis
- *Definitio.* ***Est auersa à recta ratione contra naturam, animi commotio. Siue, est appetitus vehementior, hoc est, qui longiùs discesserit à naturæ constantia seu tranquillitate.***
- *Bonis*
  - *Venturis, ut Libido seu Cupiditas, quam D. Thomas spem vocat, quæ est opinio venturi*

Diuisio in { Principes seu generales, quarum alia nascuntur ex opinatis {

venturi boni, siue, affectus, vel commotio animi vehementior nata ex opinione boni venturi, quod sit ex vsu iam præsens esse atque adesse.

Præsentibus, vt Voluptas seu Lætitia, quæ est opinio recens boni præsentis, in quo efferri ac gestire rectum esse videatur.

Malis {

Venturis, vt Metus, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur.

Præsentibus, vt Ægritudo, Senecæ etiam & D. Augustino Tristitia, opinio recens mali præsentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.

Ira, libido seu cupiditas puniendi eius, qui videatur

Libidinis

tur læsisse iniuria.

Excandescentia, ira nascens & modò exsistens. Ego hanc non puto Perturbationem esse, sed vitium Virtuti, quæ Κοσμιότης *seu* Decentia *vocatur oppositum.*

Odium, ira inueterata. Sed vereor, ne hoc dictum sit imperitius. non enim Odium est ipsa ira inueterata, sed ex ea nascitur, quamquam non semper. nam homines iniustos odimus, tametsi nos neq; læserint, neq; etiam læsuri videantur. vnde apparet Iram *non esse genus* Odij. *De natura autem odij est, velle alteri malum adesse, quæ quidem res ei, qui odit bonum esse videtur adeoque odium non aduersatur Amori, velut alias* σὺν θεῷ *docebimus. Mirè n. hic Stoici à Peripateticorum ratiõe dissentiũt, cùm passiones ipsi*

Subiecta sprincipibus seu speciales, vt species

Libidinis

omnes ponant in appetitu intellectiuo seu voluntate, non in appetitu sensitiuo: & vocabula tantùm distinguant, vt verbi gratia Cupere *sit sine ratione*, Velle *cum ratione:* Metuere *sine ratione:* Cauere *cum ratione:* Lætari, *sine ratione :* Gaudere *cum ratione.*

Inimicitia, ira inueterata & acerba, vlciscendi tēpus obseruans. Malim ego definire, odium mutuum sine vllius rei communicatione.

Discordia, ira acerbior, intimo animo & corde cōcepta. Sed neq; hæc definitio vera est; videturq; Discordia seu dissensio, itemque Contentio, nihil esse aliud, nisi libido sensus, opinionis, iudicii aut secta suæ contra alterum obtinendæ.

Contentio, libido quædam in his, quæ sectæ sunt, siue Philosophorum dissensio

Indi-

A

B

Indigentia, Libido inexplebilis, siue, quedã in repulsa libido, & quasi ab ipsa re separata, in eãq; frustra propensa atq; herens, estq; rerum ipsarum, vt honorum, pecuniæ &c. Malim voce Plautina Insatietatem vocare.

Desiderium, libido eius, qui nondum adsit, videndi.

Amor, libido eius, quod quis pulchrum iudicarit, potiendi. Sic ego definio: Stoici aliter, vt infra dicetur. Huic autem non aduersatur Odium, sed Offensio *siue* Fastidium, *de quo mox.*

Voluptatis vt

Delinitio, voluptas suauitate auditus tamquam illiquefacta animum perfundens.

Lactatio, vel Oblectatio, *voluptas gestiens & se efferens insolentius.*

Mollitia

A

B

Mollitia vel Animi effusio, virtutis dissolutio.
Malevolentia, voluptas ex malo alterius sine emolumento suo.

Metus

Pigritia, metus consequentis laboris.
Terror, metus concutiens, hoc est, quem pallor, tremor & dentium crepitus sequatur.
Timor, metus mali appropinquantis.
Pavor, metus mentem loco movens.
Exanimatio, metus consequens & quasi comes pavoris.
Conturbatio, metus excutiens cogitata.
Pudor, metus ignominiae.
Formido, metus permanens.
Δυσωπία seu Frontis imbecillitas, metus offensae ex negato obsequio.

Mise-

Aegritudinis, vt

- *Misericordia, ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis.*
- *Inuidentia, ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti.*
- *Æmulatio, ægritudo si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.*
- *Obtrectatio, ægritudo ex eo, quod quibus ipse potitur, his alter quoque potiatur.*
- *Angor, ægritudo premens.*
- *Luctus, ægritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo.*
- *Mæror, ægritudo flebilis.*
- *Ærumna, ægritudo laboriosa.*
- *Dolor, ægritudo crucians. quo refertur* Μεταμέλεια *seu Pænitentia,* λύπη ἐπὶ πεπραγμένοις ὥσπερ αὐτῶν ἡμαρτημένοις, κακοδαι-

μονικόν τι πάθος ψυχῆς καὶ στασιῶδες, *dolor* de rebus male gestis, miser ac turbulentus animi affectus, *ait Stobæus.*

Lamentatio, ægritudo cum eiulatu.

Solicitudo, ægritudo cum cogitatione.

Molestia, ægritudo permanens.

Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis.

Desperatio, ægritudo sine vlla rerum meliorum exspectatione.

Efficientia

Interdum, vt Procliuitas Εὐεμπτωσία, *quæ est* Εὐκαταφορία εἰς πάθος *facilitas ad omnes perturbationes recipiendas, qua alius ad aliam perturbationem (sed & ad alias actiones, vt furta, adulteria, iniurias) natura magis inclinat, vt anxietas est procliuitas & inclinatio ac propensio naturæ ad angorem, Iracundia, ad iram; Meticulositas, vt sic dicam, ad metum &c. Hæ procliuitates sunt naturales,*

les, neq; facilè studio tolluntur, adeoq; in sapiente remanent.

Semper, vt Intemperantia, quæ est à tota mente, & à recta ratione defectio, sic auersa à præscriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Hæc omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Sic constantiæ oriuntur ex Temperantia, quæ est scientia regendorum animi motuum.

Effecta. Oritur ex
- Libidine ex Lætitia
  - Morbus, qui quid ab ægrotatione differat, vide Cic. 4. Tuscul. Senec. epist. 75. præstat pro iisdem vtraq; accipere.
  - Ægrotatio, cuius
    - Definitio. Est opinatio vehemens de re non expetenda, tamquam valde expetenda sit, inherens & penitus insita.
    - Species, vt
      - Auaritia, opinatio vehemens de pecunia, quasi valdè expetenda sit, inherens & penitus insita.
      - Ambitio, opinatio similis de honoribus expetendis.

Mulierositas, de mulieribus

Peruicacia, de opinionibus suis

Ligurritio, de gustandis dulcibus.

Vinolentia, de vino.

Cupedia, de cibis delicatis: vulgò Gula

Curiositas opinatio vehemens de negotijs alienis tamquā ea scire valde expetendum sit

Garrulitas, opinatio de ijs, quæ resciuimus, omninoq; de rebus friuolis enunciandis.

Metu, Offēsio seu Fastidiū, siue abhorrētia, morbis ægrotationibusq; contraria. { *Definitio.* *Est opinio vehemens de re non fugienda, tamquam fugienda, inhærens & penitus insita.*

Cuius

- *Species*
  - *Inhoſpitalitas; opinio vehemens, valdè fugiendum eſſe hoſpitem eaq; inhe- rens & penitus inſita.*
  - Μισογύνεια, *mulierum odium.*
  - Μισανθρωπία, *odium generis humani.*

B.
Conſtantiæ vel Commotiones animi cum ratione aliæ

- *Principes, vt:*
  - *Voluntas, libidini contraria, quæ eſt appetitio cum ratione, ſiue, quæ quid cum ratione deſiderat.*
  - *Gaudium, voluptati contrarium, quod eſt animi cum ratione elatio.*
  - *Cautio, metui contraria, quæ eſt declinatio mali aut etiam Indifferentis reiectanei cum ratione.*

- *Subiectæ principibus, ut species*
  - *Voluntatis*
    - *Benevolentia, quæ cùm est mutua & cum aliqua cõmunicatione, vocatur Amicitia.*
    - *Placabilitas seu Clementia, quæ est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda: cui contraria Crudelitas, atrocitas animi in exigendis pœnis.*
    - *Salutatio seu complexus: vulgo Humanitas.*
    - *Charitas, seu dilectio, qualis est, in parentes & liberos.*
  - *Gaudij*
    - *Delectatio vel potius Recreatio* τέρψις: *si tamen Laertio fides habenda, qui Lactationem superius definitam eodem nomine appellat.*
    - *Hilaritas* εὐφροσύνη.
    - *Bonus animus siue* εὐθυμία *vel* ἀκακια, *animi trãquillitas seu securitas, Democritus etiam* ἐυεςὼ, ἁρμονίαν, συμμετρίαν ἀταραξίαν *vocabat.*
  - *Cautionis*
    - *Reuerentia.*
    - *Castitas seu Sanctitas.*

Hæc

Hæc igitur est Logica illa, quam Cicero vocat, Stoicorum de Appetitione ac Declinatione, earũque speciebus doctrina: ex qua etiam tacentibus nobis, cur priore loco de Æstimatione, postea demum de Appetitu agi oporteat, satis perspicuè cernitur. quanti enim quamque rem æstimamus, ita appetere eam vel auersari solemus: vnde & Aristoteles, vt perfecta sit Virtus, duo hæc requirit, vt & mens verè de rebus iudicet, & quo illa intendit, eodem appetitio feratur. Ceterùm vt suprà de Bonis diximus, ea non vno modo apud Stoicos accipi, item de Appetitione fieri solet. Quæ enim naturæ prima sunt, & ad eius conseruationem spectant (quæ Primigenia vocat Varro) non tam appetit sapiens, quàm eligit, cùm etsi secundum naturam, verè tamen bona non sint, sed, vt diximus, Indifferentia, quamuis præcipua & appetitionem mouentia. Honestum verò expetit, cum hoc natura sua & propter se appetendum propriumq; hominis bonum adeoque magis secundum naturam sit. Reliqua omnia, quæ extra hominis animũ, neque in hominis potestate sita sunt, nequaquam sapienti fugienda dicunt Stoici, quamuis rejici ea posse concedant, velut ex ijs quæ de Indifferentiũ æstimatione supra diximus, videre est. Sed dissimulare non possum, me nonnullas Perturbationum & Ægrotationum species de meo addidisse, quas apud Laërtium & Ciceronem frustrà quæras: cuiusmodi sunt Δυσωπία, Curiositas & Garrulitas. Amorem etiam inter Libidinis species retuli

quamuis scirem nullam eius hoc quidẽ loco à Cicerone mentionem fieri. Quàm n. hac de re Stoicis non conuenerit, hæc nobis Senecæ verba satis ostendunt: Eleganter mihi videtur Panætius respondisse adulescentulo cuidam, quærenti: An sapiens amaturus esset. De sapiente, inquit, videbimus: mihi & tibi, qui adhuc à sapiente longè absumus, non est committendum, vt incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi. Siue enim nos respexit, humanitate eius irritamur; siue contempsit, superbia accendimur. Laërtius disertim inter Libidinis species *Amorem* commemorat: ἐρὼς δ᾽ ἐστιν ἐπιθυμία τὶς οὐχὶ περὶ σπουδαίοις· ἔστι γὰρ ἐπιβολὴ φιλοπονίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον. *Amor est libido quædam, non eadem quæ in Bonis reperitur: hæc enim applicatio est ad laborem voluntate susceptum ob præstantem pulchritudinem.* Sic ibi quidẽ & legit, & interpretatur Aldobrandin⁹, qui tamẽ paullò post tamq̃ sui oblitus, φιλευποιΐας edidit, & *beneficentiæ study conatum* vertit. Sed ex Cicerone, qui *Amorem* definit *conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie*, nemo tam Græcarum literarum indoctus temere inuenietur, quin φιλοποιΐας legi oportere intelligat. Officiorum Ciceronis interpreti quam iratus fuerit genius apparet, dum non contentus simplici errore primùm φιλευποιΐας legendũ cõtendit, deinde contempta Ciceronis interpretatione sic vertit: *Amor est concupiscentia quadã, insidiatrix industriæ & study, per apertã ac se ingerentẽ pulchritudinẽ.* quo quidẽ mentiar, si quicq̃ æq; sine sensu, si-

ne ſapore legere apud ſcriptores memini. Sextus quidem Empiricus diſertim φιλοποιΐαν vocat, ꝙ etiam tribus ipſis locis apud Stobæum legas, quorū vno ſic ſcribit ex Stoicorū plerorumq; ſententia: Τὸν δ' ἔρωτα οὐκ ἐπιθυμίαν εἶναι, οὔτε τινος φαύλου πράγματος, ἀλλ' ἐπιβολὴν φιλοποιΐας διὰ κάλλους ἔμφασιν *Amorē nec cupiditatē eſſe, nec rei turpis vllius, ſed conatum amicitiæ faciendæ ob pulchritudinis excellentiā*: quamq̄ alio loco addit, finē huiꝰ amicitię eſſe, vt iuuenes ꝑclara virtutis indole ꝑditi ad virtutē perducantur. Sed vt miſſa cùm verborū, tū falſæ & lubricæ hujus opinionis cura *Hoc agamꝰ*, Amorem rectè & Stoicæ rationi conuenienter Libidine ſeu Cupiditate definiui, potiendi ſcilicet eius, quod quis pulchrum iudicarit. neq; n. quiſq̄, niſi pulchritudinis opinione, ſeu vera, ſiue falſa, adductꝰ vmq̄ quicq̄ amauerit. Rectè igitur Amorem à ſapiente excludimus, cui vnū pulchrum eſt Virtus, velut infra docebimus, cui etiam meritò illa Hippolyti Euripidæi verba conueniunt:

Λέχους γὰρ εἰς τόδ' ἡμέρας ἁγνὸν δέμας.
Οὐκ οἶδα πρᾶξιν τήνδε, πλὴν λόγῳ κλύων,
Γραφῇ τε λεύσσων· οὐδὲ ταῦτα γὰρ σκοπεῖν
Πρόθυμός εἰμι, παρθένον ψυχὴν ἔχων.
Caſtum mi adhuc, torique corpus neſcium eſt,
Noui nec huius quicquam rei, niſi audiens,
Pictumque cernens. non enim hæc tuerier
Pudore poſſim virginali præditus.

CAP. C[illegible]V.

ATq; hęc de Æſtimatiōe & Appetitiōe dicta ſint: de *Sapiēte*, id eſt, de eo, q̄ finē hominis cōſecutꝰ

est, siue, qui rectè æstimat appetitq;, & solũ quod honestum est, bonum; quod turpe, malum esse existimat: & de *Stulto* pariter, qui scilicet alibi, non in animo ac Virtute felicitatem ponit, neq; ex virtutis seu rationis præscripto appetitiones suas moderatur (ab affectibus enim superari Stultitia est, ait Plato, eisdẽ dominari sapientia) talia sunt Stoicorum nostrorum Paradoxa.

Solus sapiens beatus est: omnes stulti miseri.

Neque enim vlla alia huic verbo, cùm Beatum dicimus, subiecta notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. Omnia autem bona ei adsunt, quem penes est Virtus. Hic autem est Sapiens, cui bonum omne in animo est, erectus & excelsus & mirabilia calcans, qui neminem videt, cum quo se commutatum velit, qui hominem ea sola parte æstimat, qua homo est, qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quomodo illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Stulti autem, dum quicquam præter Virtutem bonum putant, illud autem ne amittant, metuunt; quomodo non possunt esse miseri? Quis potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum sæpè adest, alterum semper impendet, esse non miser? Omnes enim, ait Simplicius, tam boni, quàm mali, felicitatem in eo collocant, si & ea, quæ cupiu[illegible] consequantur, & in ea, quæ fugiunt, non incid[illegible]. Sed hoc ex eo, quod sequitur, Paradoxo pendet: *Virtus*

Virtus ad beate viuendum se ipsa est contenta.

Hoc toto libro quincto Tusculanarum disputationum exsequitur Cicero, itemque secundo Paradoxo, vnde quamuis multa ad hanc rem argumenta depromi possunt. Sed sciendum est, Decretum hoc à Socrate & Platone promanasse, idque ex Platone luculenter demonstrasse Antipatrum Stoicum Clemens Alexandrinus testatur. Socrates enim interrogatus, num beatum esse crederet. Magnum Persarum regem: qui possim, inquit, dicere, cùm ignorem, quàm sit bonus? Et subiiciente altero: Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? Ita prorsus, inquit, existimo; bonos, beatos: improbos, miseros. Sed multo magis hoc perspicuum fit ex contrario istius decreti, quo affirmatur, satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam: qua de re peculiaris exstat Plutarchi libellus. An enim dubitas, quin præstans valitudine, forma, acerrimis integerrimisque sensibus, adde etiam, si lubet, pernicitatem & velocitatem, da diuitias, honores, imperia, opes, gloriam; si fuerit is, qui hæc habet, injustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitabisne eum miserum dicere? Fatendum igitur est, eandem vim in Virtutes esse ad beatam vitam. Contrariorum enim contraria sunt consequentia.

Sapiens non est beatior vel minùs beatus ob bona vel mala externa siue:

Vita beata non augetur, nec minuitur bonis vel malis externis.

HOC est contra Antiochum Philosophum, qui Stoicam sectam in Academiam transtulisse, in eaq; Stoicè Philosophari ea re dictus est, quod Stoicorum dogmata seu Decreta apud Platonem legi ostenderit, vt in Pyrrhonicarum primi libri capite XXXIII auctor est Sextus. Is igitur Antiochus dicebat, Virtutem per se beatam vitam efficere posse, neque tamen beatissimam: & quoniam ex majore parte pleræq; res nominari soleant, etiamsi quæ pars absit; Beatã vitam, etiamsi aliqua ex parte claudicet, vt si vel vires, vel valitudo, vel diuitiæ, vel honor, vel gloria absit, tamen ex multò majore parte obtinere nomen suum: quod etiam Antipater docuerat, inter magnos hujus sectæ auctores, qui aliquid tribuere se dicebat externis, sed exiguum admodum: eumq; secutus Panætius auditor ejus, & hujus idem discipulus Possidonius, qui, vt refert Laertius, virtutem se ipsa contentum esse negabant (ad beatissimè scilicet viuendum, quod non videtur animaduertisse Laertius) sed & sanitate, & viribus, & rerum necessariarum suppeditatione opus esse ajebant. Contra hos igitur

igitur Stoicorum desertores & transfugas, ex verorum Stoicorum sententia docendum nobis est, vitam beatam per ista externa augeri minuive non posse: qua de re vide insignem Senecæ disputationem Epistola LXXXV & XCII. Et Ciceronis quidem verba, quia pauca sunt, hic proponere non fuerit alienum. Sic ergò illam Antiochi rationem confutat: Et qui beatus est, non intelligo, quid requirat; vt sit beatior: (Si est enim, quod desit, ne beatus quidem est) & quod ex majori parte vnamquamq; rem appellari spectariq́ue dicunt, est vbi id istò modo valeat. Cùm verò tria genera malorum esse dicant: qui duorum generum malis omnibus vrgeatur, vt omnia aduersa sint in fortuna, omnibus oppressum corpus & confectum dolorib. huic paulumne ad beatam vitam deesse dicemus non modò ad beatissimam! Sed lis hæc facilè componi potest, si unum bonum putemus, q, Honestum est: reliqua verò tam corporis, quàm fortunæ bona, Commoda dicamus. Quid ergo, inquies, si Virtutē nihil impeditura sit bona valitudo, & quies, & dolorū vacatio, non petes illa? Quidni petā? non q̨a bona sunt, sed q̨a secūdū naturā sunt, & quia bono à me judicio sumuntur. Quod ergò in illis tum bonum? Hoc vnum, bene eligi. Bonum est, inquam, judicium de illis meum, non ipsa. Sed instabis denuo, & vt viuere possit sapiens, necessariū esse dices, vt naturalia illi instrumēta respondeant. Audi igitur Senecā, & ab illo disces, quā nil contra hujus Decreti

firmitatem solidi excogitari queat. Necessaria, inquit, judicantur, quorum magna pars superuacua est: etiam quæ non est superuacua, nihil in se momenti habet in hoc, vt possit fortunatum beatumque præstare. non enim statim bonum est, si quid necessarium est. Ac proiicimus bonum, si hoc nomen pani aut polentę damus, & ceteris, sine quibus vita non ducitur. Quod bonum est, vtique necessarium est: quod autem necessarium est, non statim bonum est: quoniam quædam necessaria sunt, eadem vilissima. nemo usque eò dignitatem boni ignorat, vt illud ad hæc in diem vtilia demittat. Huc pertinent & hæc ejusdem: Se contentus est sapiens. Hoc perperam plerique interpretantur. Sapientem vndique submouent, & intra cutem suam cogunt. Distinguendum est autem, quid & quatenus vox ista promittat. Se contentus est sapiens ad beatè viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est: ad illud tantùm animo sano, & erecto, & despiciente fortunam.

Solus sapiens diues est: omnes stulti pauperes.

HOC Dectetum paradoxo sexto tuetur Cicero, & passim Seneca. neque obscura est ejus ratio. Sapiens enim præter Virtutem nihil bonum putat, quam quia possidet, omnia habet

bet bona. quis autem non putet diuitem esse, qui omnia bona sic possidet, vt ea se numquam amissurum certò sciat? Ex illis etiam, quæ bona non sunt, quæ natura scilicet ad sui conseruationem requirit, tantum habet, quod satis est. Nulli autem stulto, hoc est, ei, qui pecunias inter bona & expetenda numerat, quantumuis copioso, id quod habet, satis est, sed plus semper desiderat. Potest igitur fieri, vt multum habeat stultus: idem tamen erit semper magnas inter opes inops. Sapiens autem non multum, sed satis habet. Cui autem dubium esse potest, quin non qui multum, sed qui satis habet, nomen beati rectiùs occupet? Eleganter Bias:

Quis diues? qui nil cupiet. quis pauper? auarus.

Sed nemo hac de re, inter Philosophos quidem, sanctiùs Epicuro locutus est, ex cujus officina petitum est illud Lucretii:

Quòd si quis vera vitam ratione gubernet,
Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce
Æquo animo: neque enim vmquam est penuria parui.

Indidem & hoc deprompsit Seneca: Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis indiget. Et istud: Si ad naturam viues, numquam eris pauper: si ad opinionem, numquam diues. Quæ verba sic explanat Seneca: Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Naturalia desi

desideria finita sunt : ex falsa opinione nascentia, vbi desinant, non habent. nullus enim terminus falso est. Viã eunti aliquid extremum est : error immensus est. Ejusdem Epicuri & hoc est apud eumdem Senecam : Panem & aquam natura desiderat. nemo ad hæc pauper est. intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat. Et istud : Magnæ diuitiæ sunt lege naturæ composita paupertas. Lex autem illa naturæ, scis quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire, non algere. Parabile est, quod natura desiderat, & expositum : ad superuacua sudatur. Denique vt ipsius Senecæ verbis Decretum hoc asseramus : Primus diuitiarum modus est, habere quod necesse est : proximus quod sat est. At enim multi sapientum, inquis, pecunias & opes multas possederunt, quas non acceptassent, si se jam antè diuites credidissent : aut ob hoc ipsum certè sapientes non fuerunt. Sed desine Philosophis pecunia interdicere, nemo sapientiam paupertate damnauit. Sapiens fortunæ benignitatem à se non submouebit, nec muneribus ejus indignum se putabit, & patrimonio per honesta quæsito nec gloriabitur, nec erubescet. Habebit tamen etiam quo glorietur, si aperta domo, & admissa in res suas ciuitate, poterit dicere : quod quisque suum agnouerit, tollat. Sed longum nimis sit, quæ hanc in rem Seneca de vita

beata

beata numero XVII. & octo consequentibus subtilius disputat, omnia huc referre.

CAPVT CXXVI.

Solus sapiens, pius est: stulti omnes impii.

Pietas enim colendi Dei scientia. Solus autem sapiens nouit, vt colere Deum oporteat. Scit nimirum se particulam esse diuinæ naturæ, Deum in se habitare, à Deo se in hoc mundo collocatum esse, vt ipsum laudet ejusque voluntati in omnibus morem gerat, ab eodem sibi Appetitionem & Declinationem esse datam, vt ex ipsius lege iis vtatur, ea scilicet tantum appetendo & auersando, quæ in sua potestate, hoc est, in animo suo insunt. Stulti contrariò nihil horum faciunt, neque illis animi facultatibus ex diuinæ voluntatis præscripto vtuntur. Corporis enim & fortunæ bona, quæ extra ipsos sunt, appetunt, hisque contraria declinant & auersantur. Si ergò, vt fieri necesse est, frustretur eos appetitio, hoc est, si nec consequantur ea, quæ desiderant, & in ea incidant, quæ fugiunt: fieri non potest, quin Deum rerum istarum omnium gubernatorem accusent, hoc est, impii euadant. Impium enim siue ἄθεον rectè Stoici apud Laertium vocant tam eum, qui aduersatur Deo, quàm qui pro nihilo habet Deum: quod vtrumque à sapi-

à ſapiente abeſt quàm longiſsimè. Huc quoque pertinet, quod apud Stobæum legimus : Sacerdotem Stoici ſolum volunt eſſe ſapientem, haud improbum quemquam. *Cùm* enim debeat Sacerdos ſacrorum, precum, expiationum & ſimilium omnium leges tenere, ſimulque pietate ſingulari præditus eſſe, id in improbo nullo cerni. Sapientem quoque ajunt ſolum ferias celebrare, cùm feriæ ſint tempus, quo diis honos habetur, adeoque debere, qui ferias celebret, id magna cum pietate facere. *Vt autem* videant omnes, quanta ſit verorum Stoicorum in gentili quamuis cæcitate pietas, paucis Senecæ & Epicteti heroum noſtrorum verbis id ipſum docebimus. Epictetus igitur in Enchiridio. *Pietatem* eo contineri docet, vt rectas de Deo habeamus opiniones, hoc eſt, vt ſentiamus & eſſe Deum, & benè juſteque ab eo cuncta adminiſtrari, ac propterea parendum illi, & omnibus, quæ fiunt, acquieſcendum eſſe, ac ſequendum vltrò, vt quæ à mente præſtantiſsima regantur. Sic enim, inquit, nec incuſabis eum vmquam, nec ab eo negligi te conquereris. Hoc autem fieri aliter nequit, quàm ſi tam bona, quàm mala, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, relinquas, & in iis, quæ in nobis ſita ſunt, colloces. Aliter ſi feceris, Deum rerum auctorem culpabis. nam hac de cauſſa Deo maledicit agricola, ob hoc nauta, ob hoc mercator, ob hoc ii, qui liberos & vxores amittunt. nam vbi vtilitas

ibi

ibi etiam eſt pietas. quamobrem qui dat operam, vt ſic appetat, & auerſetur, quemadmodum decet, is eadem opera & pietati ſtudet. *Hæc ibi Epictetus*; quæ vt minori negotio intelligas, Decretum illud in memoriam tibi reuocandum eſt, quòd ſupra Stoicæ doctrinæ fundamentum à Simplicio vocari diximus, quo docent, Res, vt ad hominem referuntur, alias eſſe proprias ſiue in poteſtate noſtra ſitas, alias verò alienas & extra noſtram poteſtatem vel arbitrium poſitas: *Proprias* eſſe quaslibet mentis noſtræ actiones, vt opinionem, appetitionem, auerſationem; quæ quidem libera ſint natura ſua, & nec prohiberi ab alio, nec impediri poſsint. *Alienas*, quæcunq; nos ipſi non agimus, vt corpus & corporis ac fortunæ bona vocari ſolita, infirma eadem, obnoxia ſeruituti, obnoxia impedimentis. Et ad hanc quidem diuiſionem, vitam hominis vniuerſam dirigi oportere, & ab vſu ejuſdem felicitatem & infelicitatem humanam pendere volunt. Cùm enim infelix ſit, qui, non conſequitur ea, quæ cupit; & calamitoſus, qui in ea incidit, quæ auerſatur: non eſt dubium, eum, qui aliena & natura ſeruientia pro ſuis ac propriis habet, impeditum ac perturbatum iri, & Deum hominesq; accuſaturum. Si enim v. g. morbum, aut mortem, aut inopiam auerſetur, vt calamitoſus fiat neceſſe eſt, vbi in ea inciderit. Sin autē id ſolum exiſtimet ſuum, quod ſuum eſt; aliena vero, vt ſunt, aliena: nemo eum coget vm-

 quam

quam, nemo impediet, neminem accusabit ipse, neminem criminabitur, nihil aget inuitus, nemo eum lædet, inimicum non habebit, cùm à nemine ipsi noceri posit. Hæc igitur, ait Epictetus, qui sic appetit & auersatur, is eadem opera pietatem colit. Deo enim, qui hoc sic esse voluit, paret. Ab hoc discede judicio, inquit Seneca, non pietas constabit, non fides: malè de prouidentia judicabimus, & ingrati diuinorum interpretes erimus. Sed maximè insignis est apud Arrianum locus, vbi cùm docuisset Epictetus, vitam nostram esse viæ latrociniis infestæ similem, hortatur nos, vt comitem aliquem adsciscamus, qui nos tutos reddat, fidelem, firmum, insidiarum expertem. Quis autem ille sit comes, ita nos docet: *Vir prudens* ita rem considerat, hanc rationem secum init: Si Deo se dederit, se iter tutò confecturum. Quid est istud dedere se Deo? Vt quod ille voluerit, & ipse velit: & quod ille noluerit, nec ipse velit. qui ergò istud fiet? quomodo fieret aliter, nisi consideranda Dei appetitione & administratione? quid mihi dedit meum, & mei juris? quid sibi ipse reseruauit? Liberam voluntatem mihi dedit: & quæ in mea potestate sunt, ea nec prohiberi posse voluit. Et alibi: Vir, inquit, bonus & sapiens, memor quis sit, & vnde venerit, & à quo factus sit: in eo solo elaborat,

quo

quo pacto suam stationem ritè tueatur, Deóque suam probet obedientiam. Vis me diutiùs esse? Ero, vt liber, vt generosus, vt tu voluisti. Tu enim ita me condidisti, vt prohiberi non possem in rebus meis. At me non ampliùs eges? Bene tibi sit: etiam ad hoc tempus propter te mansi, propter alium neminem: & nunc, vt tibi paream, discedo. *Ibidem:* DEVS, inquit, omnes homines ad felicitatem, ad constantiam condidit, earumque rerum instrumenta dedit, quorum alia cujusque propria, alia verò aliena essent. Et aliena quidem & prohiberi, & cogi, & adimi possunt, neque propria sunt. Quæ verò prohiberi nequeunt propria sunt. Naturam verò bonorum & malorum, vt eo dignum fuit, qui nos curaret Patriaque sollicitudine tueretur, in propriis collocauit. *Neque* verò non æquè pia sunt ista ejusdem Stoici: *An* cùm animi nostri ita sint deuincti Deo, vt particulæ sint ejus, & ab eo quasi auulsæ, non omnem eorum motum, vt proprium & cohærentem animaduertit? Nihilominus tamen etiam procuratorem vnicuique addidit, Genium cujusque, eumque illi custodiendum tradidit, & tali quidem, qui nec dormiat, nec decipiatur. Cuidam enim præstantiori & diligentiori custodi vnumquemque nostrûm commisit. Cùm igitur fores clauseritis, & conclaue tenebrosum effeceritis, cauete ne vmquam dicatis, vos esse solos neq; enim estis? Sed

Deus intus est, vester genius intus est. Ecquis autem his luminis est vsus, vt videant, quid faciatis? *Item ista*: Tu principale quiddam es, tu aliquid es à Deo auulsum, tu habes in te aliquam Dei partem. Cur ergò nobilitatem tuam ignoras? cur nescis, vnde veneris? non meminisse vis, cùm edis, qui sis, qui edas, & quem alas? cùm colloqueris, cùm exerceris, cùm disputas? an nescis te Deum alere, Deum exercere? Deum te circumferre, miser, ignoras? *Huic* consentiens Seneca noster: Propè, inquit, est à te Deus: tecum est: intus est. Ita dico, Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum obseruator & custos. Hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat consilia magnifica & erecta. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo Deos: non subibit te veneratio ejus? non dices: Ista res major est altiorque, quàm vt credi similis huic in quo est, corpusculo possit? Vis istuc diuina descendit: animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quicquid timemus optamusque videntem, cœlestis potentia agitat. non potest res tanta sine adminiculo numinis stare, *Eiusdem de Pietate sa-*

pi-

pientis & hæc sunt : Virum bonum concedas necesse est, summæ pietatis erga Deos esse. Itaque quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim id accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt. Quod si est, vnum illi bonum erit, quod honestum: In hoc enim positum est & parere diis, nec excandescere ad subita, nec deplorare sortem suam, sed patienter excipere fatum, & facere imperata. *Sed* nihil magis Decreti hujus nostri veritatem comprobat, quàm Epicteti ipsius exemplum, cujus hæc Arrianus verba refert: *Numquid* oratione opera Dei satis aut laudari, aut illustrari possunt? nam si sani essemus, quid nobis aliud agendum erat & publicè & priuatim, quàm numen celebrandnm, & laudandum, & grates persoluendæ? nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum Hymnus hic cantandus erat Deo: Magnus est Deus, qui nobis instrumenta præbuerit hæc, quibus terram excolamus. Magnus est Deus, qui manus dedit, qui deglutiendi vim, qui ventrem: qui effecerit, vt latenter crescamus, vt dormientes respiremus? Hæc singulis in rebus cantanda erant, & Hymnus maximis ac diuinissimus concinendus, quòd facultatem dederit harum rerum intelligentem, & vtendi ratione instructam. Quid ergo? cùm vulgò excæcati sitis, nonne oportebat esse aliquem, qui hoc munere fungeretur, & loco omnium Hymnum

de Deo publicauerit? quid enim possum aliud senex claudus, nisi celebrare Deum? quod si luscinia essem, lusciniæ officio fungerer: si olor, oloris. Nunc rationis cùm particeps sim, Deus mihi celebrandus est: hoc meum munus est, hoc exsequor: neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, & vos ad eamdem cantilenam exhortor.

CAPVT CXXVII.

In sapientem nulla cadit Perturbatio:

siue:

Sapiens caret affectibus.

HOC Paradoxon valdequam omnibus sæculis exagitatum fuit, multisque hodie etiam bilem mouet. Peripatetici enim, quorum Cicero mollem & eneruatam vocat rationem, τὰ πάθη siue Affectus euelli & exstirpari ex animis radicitùs non posse contendunt, cùm eos à natura, & id quidem vtiliter, nobis insitos esse dicant, ratione tamen moderandos censeant, μετριοπάθειαν denique seu mediocritatem perturbationum probent. Contra quos longè facilior Stoicis foret disputatio, si vllam

τοῦ πάθους definitionem ipsi potuissent. Atqui nullam omnino apud veteres Peripateticos, sentententiæ scilicet suæ non satis confisos, reperiri, jam olim vetus Aristotelis Ethicorum Scholiastes admonuit. Sed vel sic inuitis ipsis docere Stoici nituntur, nullum in sapientis animo locum Affectibus relinquendum esse. Cùm enim Perturbatio siue Affectus ipsis sit commotio quædam animi vehementior, siue, à ratione auersa, cumque Ratio proprium hominis bonum sit, quæ perfecta sapientem efficiciat: fieri ac ne intelligi quidem posse existimant, vt vlla in sapientem Perturbatio cadere possit. Sed hoc ex Rationis & Perturbationis partibus siue speciebus multò etiam planiùs fieri sic ostendunt. Virtutes inter se connexæ sunt, vt vna sine ceteris possideri nequeat quod adeò verum est, vt testetur Eustratius hanc opinionem esse κοινὴν παρὰ τοῖς σοφοῖς omnibus sapientibus communem. Sapientem igitur fortem esse necesse est. At hic qui potest metuere, cùm fortitudinem in formidolosis rebus occupari constet? Sic Iustus cùm sit sapiens, nulla ægritudinum istarũ, cujusmodi sunt Inuidentia, Æmulatio, Obtrectatio, cadere in ipsum poterunt. Prudentia autem, quæ est bonorum & malorũ neutrorumq; scientia, quo pacto animũ ipsius opinione bonorum ac malorũ cõturbari patietur? Diximus enim, omnem perturbationem ex opinato vel bono vel malo nasci.

denique Temperantia moderandarum ex rationis imperio cupiditatum regendorumque animi motuum ſcientia definiatur, rurſum intelligi non poteſt, quomodo ſapiens, in quo ineſt temperantia, contra rationem animo commoueri queat? Sed quid verbis opus eſt? cùm oſtenſum ſit, ſapienti nihil bonum eſſe, niſi quod honeſtum ſit, nullius eum neque boni, neque mali opinione contra rationem moueri poſſe ſatis apparet. Quid enim? num *Iraſci* ſapientem dicemus? ſed nulla in ipſum cadit injuria: id quod eleganti libro docuit Seneca, & ex Epictetea rerum diuiſione paullò antè propoſita, perſpicuum eſt. Læditur enim, cui fit injuria. at ſapienti neminem nec nocere, nec prodeſſe dicimus. Conſequens ergò eſt, vt neque iraſci eum dicamus, cùm Ira puniendi ejus, qui injuriam feciſſe videatur, libido ſit. Sed neque odit quemquam, neque vlli inimicus eſt, cùm publicus generis amicus ſit, ſeque ad bene merendum de omnibus natum intelligat. *Deſiderio* & *Indigentia* non tangitur, vt qui appetitionem in eas tantùm res conferat, quæ poteſtati ipſius ſubjectæ ſunt. *Amorem*, velut ſuprà demonſtrauimus, ſuas ſibi res habere jubet, ejuſque loco Beniuolentia & Charitate vtitur. *Voluptate* verò adeò non capitur, vt non raro dolores & cruciatus ei contrarios eligat. Audi Senecam: Hoc loco mihi Demetrius noſter occurrit, qui vitam ſecuram & ſine vllis

vllis fortunæ incursibus, mare mortuum vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denunciatione & incursu firmitatem animi tui tentes: Sed in ocio inconcusso jacere, nõ est tranquillitas, malacia est. Attalus Stoicus dicebat: Malo me fortuna in castris suis, quàm in delicijs habeat. Torqueor, sed fortiter: benè est. Occidor, sed fortiter: benè est. Audi Epicurum; dicet: Et dulce est. Ego tam honestæ rei ac seueræ numquam molle nomen imponam. Vror, sed inuictus. quid ni optabile sit, nõ quod vrit me ignis, sed quod non vincit. Is ipse Paradaxon hoc tuendum suscipere audet: Si bona alia aliis maiora esse possent, hæc, quæ tristia videntur mollibus illis & delicatis præferenda esse. qua de re & ipsum, & Epictetum Arian. lib. I. cap. XXIV. & XXVIII. differentes consulere operæpretium fuerit. Sed nihil attinet multa verba in hac re probanda sumere, cùm Voluptatem constet affectum esse falsi boni opinione motum. At sapiens in bonorum æstimatione numquam fallitur, & gaudium ex bonis suis, non Voluptatem capit. *Timere* etiam sapientem absurdum fuerit, cùm velut modò diximus, fortitudine sese aduersus formidolosissima armauerit. At enim demens est, inquis, & alienatus, qui mala imminentia non extinescit. Verum est, quod dicis, si mala sunt: sed si scit sapiens, mala illa non esse, & vnam tantùm turpitudinem malum iudicat, debebit securè pericula adspicere, & alijs timenda contemnere: aut si stulti & amentis est, mala non

timere, quo quis prudẽtior eſt, hoc timebit magis. Ergò, inquies, periculis ſe præbebit & obuium feret ſapiens ſiue fortis? Minimè. non timebit illa, ſed vitabit. Cautio illũ decet, Timor non decet. Quid ergo? inquis, Mortẽ, vincula, ignes, alia tela fortunæ non timebit? Non. ſcit enim illa non eſſe mala, ſed videri: omnia iſta humanę vitæ formidines vocat. Quæris, quid ſit malum? Cedere his, quæ mala vocantur, & illis libertatem ſuam dedere, pro qua cuncta patienda ſunt. Perit libertas, niſi illa contemnimus quæ nobis iugum imponunt. Quid ergo? ſi ferrum intentatur ceruicibus viri fortis, ſi pars ſubinde alia atq; alia ſuffoditur, ſi viſcera ſua in ſinu ſuo videt, ſi ex interuallo, quo magis tormenta ſentiat, repetitur, & per ſiccata viſcera recens demittitur ſanguis, non timere tu iſtum dices, non dolere? Iſte verò dolet (ſenſum enim hominis nulla exuit virtus) ſed non timet. Inuictus ex alto dolores ſuos ſpectat. quæris, quis tunc animus illi ſit? qui ægrum amicum adhortantibus. Sed ne cui hic Stoicos calumniandi relinquatur occaſio, tamquam contraria ab ijs doceantur, dum ſapientem dolere dicunt, & Dolorem tamen inter Ægritudinis ſpecies numerant; ſciendum eſt, nos hic de corporis tantùm dolore loqui, qui eſt motus aſper in corpore, alienus à ſenſibus; ſapientem ſcilicet corporis ſui cruciatus ſentire non autem capi dolore, eo, qui eſt ægritudo animum crucians, cùm in ægritudine demitti animus contrahique ſoleat, quod à ſapiente eſt alieniſſimum: qua

de re

de re pulchetrimè Cicero in Tusculanis disputat, & dolorem tolerari non solum debere, sed & posse firmissimis ac tantùm non necessarijs mathematicorum rationibus concludit. Quod autem neque *Misericordia* tangi sapientem dicunt, nequaquam à Cicerone in Muræniana tantopere agitari merebatur. Sed benè habet, quod ipse fatetur, illa sibi apud imperitos dicta, & coronæ aliquid datum esse Ciceroni ergò Oratori Ciceroné Philosophũ opponamus, qui quarto Tusculanarũ hæc Peripateticis respondet: Cur misereare potiùs, quàm feras opem, si id facere possis? an sine misericordia liberales esse non possumus? non enim suscipere ipsi ægritudines propter alios debemus; sed alios, si possumus, læuare ægritudine. Sed profuerit etiam Epictetum nostrum auscultare. Cùm, inquit, quempiam videris in luctu, siue peregrè profecto filio, siue, amissis rebus: caue, ne te visum illud moueat, vt existimes versari eum in malis ob externa; sed statim ipse tecum distinguito, sicque in promptu, vt dicas: Istum affligit, nõ casus ille (alium enim non affligit) sed concepta de eo opinio. Quare oratione quidem tua perturbationi eius subseruire ne dubita, atque adeò, si res ita tulerit, congemiscere. Cauebis autem, ne intus etiam congemiscas. Hinc docemur, ita humanitatis rationem habendam videri Stoicis, vt ne ipsi bono nostro propterea excidamus, animique tranquillitatem amittamus. Nihil est autem, ꝙ totã hãc rẽ subtilius persequatur, & Ciceronis irri-

irrisioni satisfaciat cumulatius, quàm quæ à Seneca posteriore libro de Clementia scribuntur. Ibi enim Stoicos excusat, hoc nomine malè audientes, quod eorum secta nimis sit rigida & aspera, minimeq; bonum det consilium Regibus ac Principibus, vt quæ Sapientem misereri neget, neget ignoscere: docetq; Sapientis esse *Clementiam*, quæ parcat deliquentibus: & *Beneficentiam*, qua succurat alienis miserijs, opemq; libens & alacri animo ferat: *Misericordiam* verò cum sit tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit, procul à sapiente abesse oportere, tamquam quæ vicina sit miseriæ, habeatque aliquid & trahat ex ea. Imbecilles, inquit, oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur: tam mehercule, quàm morbum esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoq; os diducere. Sapientem verò nemini ignoscere aut Veniam dare ideò docet, quòd *Ignoscere* sit, quæ iudicas punienda, non punire; *Venia* autem sit debitæ pœnæ remissio. Atqui nihil facit Sapiens, quod non debet; nihil præter mittit, quod debet. Clementiam igitur exercet, remittitque pœnam, non tamquam debitam, sed quam circumspectis omnibus rebus circumstantibus remittendam iudicarit. Clementia, inquit, hoc primum præstat, vt quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronunciet. Plenior est ergò, quàm Venia, & honestior. De verbo, vt mea

fert

fert opinio, controuersia est: de re quidem conuenit. Hæc & alia plura istic disputat Seneca, quem qui consulet, operam nequaquam luserit. Iam verò & reliquis partibus Ægritudinis, Inuidia inquam, ęmulatione, obtrectatione, angore, luctu, mærore, solicitudine, disperatione & similibus vacare sapientis animum oportere, vix quemquam negaturum puto. Multò igitur magis à morbis & ægrotationibus vacabit, cùm haud quicquam expetat, quod non solum experi debeat. *Auaritiam*, morborum pessimum, nemo tam stultus est, vt in sapiente tolerandum putet. Neque etiam de *Ambitione* ex ijs, quæ diximus, cuiquam dubium relinquitur. Honores enim, quos & ipsi Peripatetici in externis vide Senec. epist. CXVIII. alienæque potestati subditis numerant, numquam appetit sapiens, sed eos, si res ita postulare videatur, eligit tantùm, alieno potiùs bono, quàm suo: id quod ex Platonis ad Archytam epistola videre licet, in qua sic scribit: Te amici narrauerunt permolestè ferre, quod à publicis ciuitatis occupationibus liberari nequeas. Et verò quod longè omnium iucundissimum sit vitæ genus, sua agere, ei præsertim, qui eadem, quæ tu, facienda delegerit, omnes propemodum manifesti intelligunt. Verumtamen & hoc te considerare par est: neminem nostrum sibi soli natum esse, sed ortus nostri partem sibi patriam vindicare, partem parentes, partem amicos: multa deniq; pro tempotum varietate nobis interuenire, quibus vita nostra implicetur. Ipsa igitur patria

patria te ad communem rempublicã vocante, absurdum forte fuerit non parere, cùm præsertim simul cõtingat aditũ ignauis & inidoneis hominib⁹ relinqui, qui nulla ipsius quod optimum est, ratione habita ad rempub accedunt. *Gloria* porrò adeò non laborat sapiens, vt sæpè etiam cum infamia se iustum esse oportere existimet, & sic mala opinio, ait Seneca, bene parta ipsum delectat. Et vnum hoc est, quod cum Iniusto sapiens commune habet, quòd qualis est, esse mauult, quàm videri, velut in Platonis politia legimus. Huc accedit, quod Aristotele teste homines ciuiles, quos ipse politos & elegantes vocat nõ aliter gloriam expetunt, quàm vt alienum habeant de sua virtute testimonium. Atqui hoc nunquam desiderat sapiens, qui nemini plus de se, quàm sibi ipsi credit, neque ad hoc, vt virtutis suæ conscientia certius & exploratius fruatur, alio potius, quàm se teste vtitur. Scit enim, si perpetuò sit sui similis, si vnum hominem agat, nec multiformis sit, alternis Vatinius, alternis Cato, sed semper idem velit, idem nolit, peruenisse se ad boni humani summam. Est enim sapientiæ effectus, gaudij æqualitas. Neq; tamen nego, in pueris & adulescentibus multum habere momenti gloriæ cupiditatem ad capessendum rerum honestarum studium, sed id nõ diutius, quàm quoad ipsum honestum per se expetendum esse didicerint. Illis igitur ad colendam virtutem facilè patior, Gloriã quasi præmiũ ꝓponi, non aliter, quàm

—pueris dant crustula blandi

Docto-

Doctores, elementa velint vt discere prima:
Sed virum etiam firmatæ iam ac corroboratæ ætatis, nedum senem, ijsdem gloriæ illecebris inuitare velle, opido puerile & alienum mihi videtur, quamuis id hodie inter illos quoque, qui in Philosophiæ studio canuerunt, non raró fieri nouerim. *Offensionis* seu *Fastidij* eamdem esse rationem apparet; nequaquam scilicet eam in sapientem cadere, cùm à falsa mali opinione proficiscatur. Denique vt multa paucis absoluam, serena sapientis mens est, nec quicquam potest incidere, quod illã obducat. Talis est eius animus, qualis mundi status super lunam: semper illic serenum est, velut de sedib. Deorũ suorũ Homeri imitatione canit Lucre.

Quas neq; concutiunt venti, nec nubila nimbus
Adspergunt, neq; nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, semperq; innubilus æther
Integit, & large diffusó lumine ridet.

CAP. CXXVIII.

SEd molesti hic nobis sunt Peripatetici, nuperq; adeò Mureti in Ethicos Nicomachios Cõmẽtarius hoc Stoicorum placitum absurdissimum esse uincere conatus est. Ait enim, eos cum ipsa natura pugnare, quæ numquam illos animorum motus hominum generi inseuisset, inquit, si illi eradicandi & euellendi, tamquam prorsus inutiles essent. Sed multum sudabit Muretus, si hoc ab ipsis extorquere cupiat, vt affect⁹ siue pturbationes à natura datas dicãt. Rationem nobis natura dedit,

qua in

in bonorum ac malorum finibus describendis vti, & ex cuius præscripto appetere & declinare tam bona, quàm mala possemus. Perturbationes autem sunt animi motus à ratione, ac proinde ab ipsa natura auersi. Neq; tamen sic omnem ab animo hominis motionem remouent Stoici, nam & Voluntatem, & Gaudium, & Cautionem, quæq; his subiecta sunt, in eo ponunt, & quasdam etiam procliuitates ad illos ipsos affectus alijs plures, alijs pauciores à natura insitas fatentur. Alij enim, vt supra diximus, natura sua ad iram procliuiores sunt, quos Iracundos dicimus: alij ad metum, qui Meticulosi: alij ad Ægritudinem, qui Tristes vel superciliosi, vulgò Melancholici dicuntur: alij ad amorem, quos salaces, vulgò Luxuriosos vocant: alij ad inuidiam, ad misericordiam, & ad reliquas perturbationes, morbosq; animi, qui cùm nomẽ nõ habẽt, ipsorũ morborũ vocabulis appellãtur. Sed hę procliuitates non parum à perturbationibus differũt (hæ enim ex falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum constant, illæ à natura sunt) tres autem Constantiæ illæ, quas diximus, Voluntas scilicet, Gaudium & Cautio, contrario nomine perturbationibus sunt oppositæ, summaque inter eas pugna est. animi enim cum ratione commotiones sunt. Quare aut aliud egit Muretus, cùm ista scriberet, aut ambiguitate verborum, vt cum Seneca loquar, quæsiuit locum fraudi, quod faciendum non est, vbi Veritas quæritur. Sed apparet illum non semel Oratorem potius, quam Philosophum

egisse,

eg isse, & caussę siue instituti sui rationibus seruire, quàm ad libellam singula exigere maluisse. Magis tamẽ in eo peccat, quod priori subiungit: *Si* euelli affectꝰ, illi ex animis possent, eum tamen hominẽ, qui nulla re doleret, nulla lætaretur, neq; irasceretur improbis, neq; vllius misericordia caperetur, nihil vmquam cuperet, nihil speraret, nihil metueret, pecudem vel truncũ aliquem ac stipitem potiùs quàm hominem futurum, qualis scilicet Claudius Imperator fuerit. Vt enim de Claudio nihil hic dicam, cuius πάθη seu affectus multis magno nimis constitisse constat: quis non videt, si dolere, metuere, sperare, irasci, misereri, & quæ sunt eiusdem generis, hominis esse existimanda sint, cõsequens esse, vt tanto quis inter homines perfectior, & trunco dissimilior sit futurus, quanto plus doleat, metuat, irascatur, ceterisq; morbis & ægrotationibus perturbetur? Existimaui semper, eò quemq; pecudi similiorem fieri, quò longius à ratione auferatur: at nunc disco ex Mureto, eum pecudis, quam hominis nomine digniorem esse, qui per omnia rationi parere, neq; contra præscriptũ ipsius quicquam vel appetere vel fugere consueuerit. Sed si Muretus noster Stoicos probiùs pernoscere, quàm damnare maluisset, plenè iam olim huic suæ ratiunculæ ab ijs satisfactum deprehendisset. Sic enim scribit Laërtius: Sapientem perturbationis seu affectus expertem esse aiũt, quoniam nullo modo labi possit. Sed & alium esse sine affectibus, Improbum scilicet, qui ab immani duroq;

K nihil

nihil differat. Seneca etiam de ſapiente verba faciens: Qui nec cupit, inquit, nec timet, *beneficio rationis*. Sic itaque palam eſt, hoc inter ſapientem & Immanem ſiue Truncum intereſſe, quòd ſapiens rationis beneficio affectus iſtos à ſe expulerit, Immanis naturæ ſcæuitate ac duritia ijſdem careat. Ceterùm & ἀτυφίαν ſiue elationis faſtuſque vacuitatem ſapiens cum ſtultorum & improborum nonnullis communem habet, quos ſcilicet φαύλους, hoc eſt, viles & abiectos poſſis dicere neque id tamen Muretus ſapienti vitio verterit, cùm ſapientem in his, quæ gloriam ignominiamq; afferunt, neutram in partem moueri debere, ipſe quoque cogatur confiteri. *Tertiò*, Lycurgo Thraciȩ Regi ſimiles facit Stoicos, hoc eſt, inſanire eos prædicat. Vt enim Lycurgus, ne quis ex ſuis inebriaretur, vites omnes, quæ in Thracia erant, excidit, cùm vinum potiùs aqua diluere deberet: ita Stoici, inquit, quòd affectibus interdum impellantur homines ad flagitia & ſcelera, non moderandos eos, ſed ab ipſis radicibus exſtirpandos putant. Sed non rectè conſilium Stoicorum interpretatur. Illi enim ſapientem perturbationibus vacare volunt, quòd ei ſecundum rectam rationem viuendum putent, quod fieri nequit, ſi in eo locum habeant affectus, hoc eſt, animi contra rationem commotiones. quare nihil exemplū hoc valet, niſi conſtet priùs tam licere ſapienti contra rationē moueri ſeu p̄turbari, quàm licuerit Thracibus vinum bibere. Principium ergò, vt in ſcho-

lis

lis loquuntur, Muretus petijt. *Postremò* denique Stoicos pugnantia loqui, ac proinde mentiri hac ratiuncula concludit: Paria sunt peccata, vt placet Stoicis: Perturbationes igit & ipsæ pares sunt, cũ sint peccata. *Sed* nõ video ego, quid hic pugnãs dicant Stoiti, qui vtrumque facilè fatentur. At enim constat, perturbationes alias maiores esse, alias minores. Quis hoc dicit? an Muretus? at non Stoici, quorum rationi consentaneum est, Perturbationes pares esse dicere falsò. igitur hoc crimine onerantur: At enim (instat & vrget Muretus) dolorem Platonis de morte Socratis, & Alexandri: item de morte Cliti æqualem nemo dicere audeat. Primum quis confirmare audet, Platonem de morte Socratis doluisse, vel, vt Stoicè dicam, luxisse? Luctus enim ægritudo est; ægritudo autem opinio recens præsentis mali, in quo demitti & contrahi animo rectum esse videatur. Plato igitur mortem, eamque alienam, malum esse credidit, idque tantum, vt satis in eo caussæ esse existimaret, cur animum abijceret? Cui hoc vmquam persuadebit dissertissimus Muretus, qui vel Apuleij Platonici de Philosophia librũ inspexerit, vel in Platonis lectione non omninò hospes sit? Nonne enim apud ipsum, ait Simplicius, in Phædone hoc dicit Socrates: Fortassis hoc tibi mirabile videtur, si hoc solũ ceterarũ rerũ sit simplex, neque vmq̃ homini malũ accidat, vt reliqua oĩa. Vnde ẽt p̃stiterit esse mortuũ, q̃ viuere. Nonne ẽt ipse Plato suis verbis hoc idem affirmat in Legibus: Cõiũctio

corporis & animi non est pręstantior separatione, si id, quod sentio, dicendum est. Quid ergo? nihilne Platonem ex carissimi præceptoris & amici obitu molestiæ cepisse censes? Si sapiens fuit, & pręceptori similis, non censeo. Mortem enim neque suam, neque alienam inter mala numerat sapiens, sed inter *Incommoda*, quæ reijci, vt diximus, non vitari vel declinari solent. Non igitur dolere potuit Plato, cùm dolor ex mali opinione nascatur. Morsum fortasse aliquem sensit, sed eum tamen jucunditate quadam mixtum, qualem his verbis Seneca nobis describit: Id agamus, vt jucunda fiat nobis amicorum amissorum recordatio. nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est. Si tamen illud fieri necesse est, vt cum aliquo nobis morsu amissorum, quos amauimus, nomen occurrat, hic quoque morsus habet suam voluptatem. Nam vt dicere solebat Attalus noster: sic amicorum defunctorum memoria iucunda est, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos acrimonia delectat: quomodo poma quædam sunt suauiter aspera: cùm verò interuenit spatium, omne, quod angebat, exstinguitur, & pura ad nos voluptas venit. Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placenta frui est: eorum, qui fuerunt, retractatio, non sine acerbitate quadam juuat. Ego non idem sentio. Mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est. habui enim illos, tamquam amissurus; amisi, tamquam habeam. Sed vt demus hoc Mureto,

reto,cui vix quicquam negare possumus, & concedamus doluisse Platonem: nihil dubitabunt Stoici hoc suum Decretum tueri, & Platonis dolorem Alexandri dolori parem dicere, eo scilicet modo, quo supra peccata ab ipsis paria haberi demonstrauimus; statu nempe, non gradu, siue, genere & effectu, æqualia sunt, hoc est, rationi opposita: alia enim alijs à ratione longius discedunt. Majores nihilominus videntur dolores aut perturbationes cùm pluribus de causis susceptæ sunt. Alexander enim doluit, quod interfecisset hominem, quod amicum, quòd nutricis suæ fratrem, quòd sui diuersis vicibus seruatorem, quòd suis manibus, quòd sine idonea caussa, quòd summo cum suo dedecore, quòd cum alienatione & offensione amicorum: quam vltimam caussam plus quàm ceteras omnes apud ipsum valuisse Curtius tradit. Non igitur grauiùs, sed de pluribus malis doluit, quàm Plato, si tamen de morte Socratis doluisse eum credimus. Iræ autem exempla, quæ Muretus adfert, nihil eum iuuant. Nicocreon enim, qui Anaxarchum ob quædam liberius in se dicta, pistillis ferreis contundi jussit, iratus procul dubio fuit: sed non item Magas, qui à Philemone offensus, tortori imperauit, vt nudum ensem ad collum illius admoueret, neq; vltra progressus, hominem saluum incolumemq; dimisit. Cùm enim rationi paruerit, quis iratum fuisse credat? Illa enim est ira, quæ rationem transilit, quæ secum rapit, quæ ad vltionem voluntate & iudicio pergit:

 pri-

dicio pergit: primus autem ictus ille animi, qui nos post opinionem iniuriæ mouet, quique subit sæpè etiam inter ludicra scenæ spectacula, & lectiones rerum vetustarum, vel etiam à Martio tubarum sono, aut pictura aliqua atroci excitatur, ira non est, sed principium præludens iræ. Vt frigida aspersi horrent, ad peiores nuncios subriguntur pili, & rubor ad improba verba suffunditur, sequiturque vertigo prærupta cernentes: quorum quia nihil in nostra potestate est, nulla quominus fiant, ratio persuadet: Sic iniuriæ species quominus animum subito pulsu tangat, ratione nulla effici potest. Sed vt scias, ait Seneca, quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur, est *primus* motus non voluntarius quasi præparatio affectus & quædam comminatio. *Alter* cum voluntate non contumaci, tamquam oporteat me vindicari, cùm læsus sim: aut oporteat hunc pœnas dare, cùm scelus fecerit. *Tertius* motus est iam impotens, qui non, si oportet, vlisci vult: sed vtique qui rationem euincit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus, sicut ne illa quidem, quæ corporibus accidunt, ne nos oscitatio aliena solicitet, ne oculi ad intentionem subitam digitorum comprimantur. Ista non potest ratio vincere: consuetudo fortasse & assidua obseruatio extenuat. Alter ille motus, qui iudicio nascitur, iudicio tollitur. Nulla scientia (scribit idem ad Lucillium) naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. quicquid infixum & ingenitum est, le-

nitur

nitur arte, nō vincitur. quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter, quàm fatigatis & æstuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Hæc nec disciplina, nec vsus vmquam excutit, sed natura vim suam exercet, & illos vitij sui etiam robustissimos admonet. Inter hæc & ruborem esse scio, qui grauissimis quoque viris subitus offunditur. Hæc nulla sapientia abigit. alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cùm multum se diuque animus composuerit, herebunt. *Idem alibi:* Quædam sunt, inquit, quæ nulla Virtus effugere potest: admonet illam natura mortalitatis suæ. Itaque & vultum adducet ad tristitiam, & inhorrescet ad subita, & caligabit, si vastam altitudinem in crepidine eius constitutus despexerit. Non est hic timor, sed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. *Atq;* hoc est, quod supra diximus, cùm de Perturbationum efficientibus loqueremur, *Procliuitates* ad vitia & ad perturbationes in sapiente quoque relinqui, neque studio tolli posse, quod Lucretius quoque Epicuri de schola Philosophus, & magni ingenij plurimæque elegantiæ poëta, his suis versibus confirmat:

Sic hominū genus est, quamuis doctrina politos
Constituat pariter quosdā, tamē illa relinquit
Naturæ cuiusq; animæ uestigia prima.

Nec radicitus euelli mala posse putandum est,
Quin procliuius hic iras decurrat ad acres,
Ille metu citius paullò tentetur; at ille
Tertius accipiat quædam clementiùs æquo.

Sic ergò satis demonstratum est, nihil aliud Mureto nostro in explanatione Aristotelis propositũ fuisse, quàm primo, quo se adstrinxerat, vinculo teneri, nec formulam mutare, sed, quod dici solet, τὴν θέσιν φυλάττειν: quod & alias non semel ipsi obtigisse, citra iniuriam opinor summi viri cuiusque mentionem numquam nisi cum honore faciendam censeo, dicere ausim. Ceterùm si quis de hac quæstione, vtrum scilicet expellendi sint affectus, an temperandi, plura ac solidiora scire desiderat, Senecæ epistolas LXXXV. & CXVI. adeat, quibus copiosè illa Peripateticorum μετριοπάθεια confutatur, quod tamen multò etiã subtilius idem Seneca triga suorum de Ira librorum, præcipuè verò libri secundi capite XII. & sequentibus exsequitur. Eandem etiam affectuum moderationem operosè Cicero quartò Tusculanarum refellit, & in specie quidem de Ira, misericordia, æmulatione & obtrectatione, quàm nullam prorsus vtilitatem afferant, sed & plurimum virtutis actiones animique tranquillitatem impediant, perspicuè demõstrat. Omnia enim hic pertractare, consilij nostri ratio nobis non permittit, quibus non docere Philosophiam, sed docturos admonere decretum est.

CAP. CXXIX.

Solus ſapiens ſanus eſt: omnes autem ſtulti inſaniunt.

HOC Paradoxo quarto probauerat Cicero, ſed illud hodie non exſtat: tantùm principium ejus reliquum eſt hujuſmodi: *Ego verò te non ſtultum, vt ſæpe; non improbum: vt ſemper: ſed dementem & inſanum rebus advincam neceſſariis.* Reliqua, quæ ſequuntur, nihil cum hoc Paradoxo commune habent, ſed aliud probare intendunt, ſolum ſcilicet ſapientem eſſe ciuem, omnes autem ſtultos eſſe exſules: de quo mox videbimus. Mirum verò nec Lambino, nec Langio, nec ipſi denique Turnebo majorum gentium Critico hoc ſuboluiſſe nam in Manuccio nihil hoc noui eſt. ariolari enim non didicit. Quare ſi quis locum illum ſupplere, & deperditorum jacturam ſarcire velit, ea, quæ non longè à principio tertii Tuſculanarum apud eumdem Ciceronem leguntur, illinc aſſumere & huc referre debet: quò & noſtrum lectorum, ne libellus nimium creſcat, remittimus: cùm præſertim ex iis, quæ de Perturbationibus modò diſputauimus, veritas Paradoxi hujus liquidò peruideri poſsit. Eſt enim ſanitas animorum, vera ſanitas, eaque in tranquillitate quadam conſtantiaque poſita, quæ in ſolo ſapiente reperitur: ſicut ſtulti viciſsim in morbo ſunt, hoc eſt,

mentis perturbationibus affecti, ac propterea insaniunt, quòd in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit. Improbos Stoici (vt est apud Stobæum) omnes insanire dicunt, se pariter ac sua ignorantes, id quod est insaniæ ignorantiam autem temperantiæ oppositam & inconsultas atq; attonitas reddentē appetitiones, insaniam esse: ideoq; Insaniam definiunt, ignorantiam attonitam. secundo satyra tertia consulere.

Solus sapiens ciuis est : stulti omnes peregrini, exsules & rustici.

HOC inter Paradoxa Ciceronis quinctum est, sed, vt dixi perperam sub quarto, q. intercidit, collocatur. Ejus hoc est principium : *Sapientis animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus deniq; omnibus mœnitus, vi vincetur & expugnabitur, qui ne ciuitate quidem pelli potest?* Sic enim ibi legendum puto. Nihil autem aliud istic agit Cicero, quàm vt doceat, se cùm à clodio expulsus esset, exsulem non fuisse, ipsumque exsulis nomen Clodio potiùs conuenire. Exsul enim est, qui ex ciuitate sua eiicitur. Sed Roma, inquit Cicero tum ciuitas non fuit, cùm ego expellerer. nam leges in ea nihil valebant, judicia tacebant, mos patrius occiderat, ferro pulsis magistratib. Senatus nomen in Repub. non erat, omnes feri et im̃anes, fugitiui ac latrones istic conuenerant.

Quam-

Quamuis autem suam potiùs, quàm Stoicæ Philosophiæ caussam ibi tueatur Cicero, nisi si quædam vetustatis injuria ex illa disputatione deperdita fuerint, id quod vehementer suspicor: quid tamen de Paradoxo hoc judicari debeat, non obscurè inde colligi potest: neminem scilicet ciuem esse, nisi virum bonum, hoc est, sapientem. Hic enim solus virtutibus vndique sic circummunitus est, vt nulla vi expugnari, neq; eiici inde posit. Quod autem eorum, qui in Ciceronem scripserunt, nemo Paradoxon hoc ψευδεπίγραφον esse animaduertit, hinc opinor, accidit, quod non magnam Stoicæ Philosophiæ peritiam posiderent: quamuis ex ipso Cicerone (vt Laertium & Plutarchum prætercam) facilè ea de re suspicio iis incidere potuisset. Extremo enim libro, qui Lucullus ab eo inscribitur & quarto de finibus dilucidè affirmat, inter Stoicorum Admirabilia & hoc fuisse: solum sapientem esse ciuem, reliquos omnes exsules & fugitiuos. Stobęus etiam: *Exsulem*, inquit, quem vis improbũ esse dicunt Stoici, quatenus lege & ciuitate careat: vtramq; n. probam esse. Rusticum quoq; dicunt esse improbũ, cùm sit Rusticitas, legum ac morum ciuitatis ignorantia, cumq; secundum leges viuere nolit, ferarũ more noxius.

Solus sapiens est formosus: stulti omnes deformes & distorti.

CVm ex Platonis sententia tanta sit Virtutis pulchritudo, vt si oculis cerni posit admirabilem

lem ſui amorem nobis concitatura videatur, nemini dubium eſſe poteſt, quin is, qui ea ſe exornauit, hoc eſt, Sapiens, omnium formoſiſsimus haberi debeat. Neque tamen in ſapiente corporis pulchritudinem improbant Stoici, aut contemnendam putant, cùm velut Homericus ait Alexander,

Οὔτι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα,
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

Aſpernanda deûm haudquaquam ſint inclita dona,
Quæ ipſi dant vltrò, at fruſtrà quis habere petiſſat:

cumque non minùs, quàm alii Philoſophi, honorifico eam elogio exornare ſoleant. Theocritus enim eburneum detrimentum, Carneades regnum ſine ſatellitio, Plato naturæ prærogatiuam, Socrates breui temporis tyrannidem appellat, Ariſtoteles verò eam plus quauis epiſtola homines commendare dicit: at Stoici Virtutis florem appellant, eaque τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν virtutis indolem ſignificari volunt, vt teſtis eſt Laertius, quòd nimirum ſicut deformitas plerumque latentis in animo ad varia vitia procliuitatis argumentum eſt, (quam ob rem non negauit Socrates, ſibi vitia ineſſe, quæ Zopyrus phyſiognomon multa in eum collegerat, verbi gratia, quòd bardus &

muli-

mulierosus esset, sed ea ratione multoque studio à se compressa & dejecta dixit) ita formæ decorem naturalis quædam ingenii bonitas comitetur, nisi aut praua educatione, aut conuictu & consortio improborum corrumpatur. Vnde Pacatus: Non frustrà planè, inquit, opinione sapientum, qui naturalium momenta caussarum subtiliùs sciscitati arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hospitium, siue cùm venerit, fingit habitaculum pro habitu suo siue alterum ex altero crescit, & cùm se paria junxerunt, vtraque majora sunt, parcam arcanum cœleste rimari. Atque hæc Socrati caussa fuit, cur Alcibiadem omnium ætatis suæ formosissimum affectaretur, quod ex pulchritudine Virtutis indolem & naturæ bonitatem coniiceret, prauis tamen aliorum multorum exemplis postea corruptam, non autem turpitudinis alicujus gratia, cujus ipsum, quamuis non tam ipsum, quàm alios Pseudophilosophos, nequitiæ velamentum à Socrate petentes, Lucianus insimulare solet. Neque Deus siuerit, vt tantum virum, quo inter Ethnicos nemo vmquam sapientior sanctiorque exstitit, vel in tenuissimam vllius turpitudinis ac flagitii suspicionem deuocemus. Quæ quamuis ita sint, nequaquam tamen formæ tantum Stoici tribu-

unt,

tunt, vt ejus caussa Amorem, affectum scilicet, vt diximus impotentem, alteriq ue emancipatum, in sapiente tolerandum putent (beniuolentia enim & charitate, voluntatis partibus, rectæ rationi subjectis, eum præditum esse docent) neq; etiam Aristotelem audiunt, qui hominem adspectu deformem, quantumuis sapientem, & Virtutum omnium mundo instructum & exornatum, minùs ad felicitatem aptum esse existimat. Si enim hanc ad rem pulchritudo facere quicquam potest, illam internam & in animo sapientis, positam adeò sufficere credunt, vt alia ornamenta omnia pro superuacuis habeant. qua de re, quæ Seneca scribit, vbi de Clarano sene distorto, sed eodem tamen sapientisimo agit audire operæ pretium existimo. Iniquè, inquit, se natura gessit, & talem animum malè collocauit: aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta, & ad cetera contemnenda à contemptu sui venit. Errare mihi visus est, qui dixit:

Gratior est pulchro veniens è corpore Virtus.

Nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Certè Claranum nostrum cœpi intueri: formosus mihi videtur, & tam rectus corpore, quàm est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest & ex de formi humilique corpusculo for-

formosus animus ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet, Virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos, fecisset: nunc, quod amplius est, facit. quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus, vt scire possemus, non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.

CAP. CXXX.

Solus sapiens est Nobilis: stulti omnes ignobiles & degeneres.

SI Nobilitatem, vt vulgò faciunt, ex eo æstimemus quod quis à majoribus, diuitiis & virtute præditis, originem ducat: fateamur necesse est, eam dignam non esse, quæ commendationem sapienti pariat. Antiquæ enim majorum diuitiæ totæ alienæ sunt, & mille fortunæ casibus ac periculis subjacent, facilè vt fieri queat, quod ille apud Poetam quæritur.

Λαμπροὶ μὲν εἰς γένος γε· χρημάτων δὲ δὴ
Πένητες. ἔνθεν ἡ εὐγένει' ἀπόλλυται.
Clari quidem sumus stirpes à pecuniis
Sed pauperes: nostra vnde Nobilitas perit.

quodque affirmat Menander:

Πε-

Πενία δ᾽ ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ

Et Nobilem paupertas infimat virum.

Virtus porrò auita quamuis vulgò existimetur non minùs ferè, quàm nomen & opes, in posteros propagari (vnde & apud tragicum legimus:

Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς,
Ἐσθλῶν γενέσθαι —

Insignis & magni nota hæc est ponderis,
Esse è bonis prognatum —

Nobilitas enim, ait Aristoteles, apud singulas nationes domi honorata est, quod verisimile sit, eos, qui ex melioribus nati sunt, esse meliores) adeò tamen hæreditate non acquiritur, vt nihil dubitauerit Homerus dicere:

Παῦροι μὲν τοι παῖδες ὁμοιοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες, κακίους· παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Pauci equidem esse solent similes nati usq; parenti:
Peiores multi, pauci patre sed meliores,

Et Euripides similiter:

Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσὶ κακοί.

Nam Nobiles plerią; sunt & improbi.

Natura enim, vt idem Aristoteles auctor est, vult quidem ex bonis bonum nasci, sed plerumque non potest. Cujus rei rationem alibi reddens: Nobile, inquit, est ex generis virtute: gene-

generoſum verò ex eo, vt non deficiat à natura: id quod plerumque non accidit nobilibus, ſed ſunt multi abjecti. Prouentus enim eſt etiam in generibus virorum, vt in iis, quæ in agris oriuntur. Nonnumquam ſi ſit bonum genus, exoriuntur ad aliquod tempus viri eximii, & deinde rurſus retrofertur. Quid igitur? quæret quiſpiam: nihilne tamdem erit, cur nobilis idemque Sapiens alteri ſapienti obſcuro humilique loco nato præferri debeat? Nihil omnino, ſi Stoicorum potiùs, quàm vulgi lingua loqui velimus. Illi enim quamuis Nobilitatem inter commoda ſeu Præpoſita numerent, nequaquam tamen ſatis in ea, cur aliis præferatur, cauſę eſſe exiſtimant, neque illius magis, quàm ſtrigilis acceſsione beatam ſapientis vitam augeri volunt, quod ex iis, quæ de Indifferentium æſtimatione ſuprà diximus, videre licet. Illud interim nullo modo negari poſſe cenſeo, naturæ & ingenii præſtantia ſiue indole, Nobilem virtute præditum alteri illi antecellere videri, quippe quæ Nobilitate generis, & quæ illam comitantur variis corruptelis elidi exſtinguique non potuerit. Fieri enim facilè poteſt, vt quis majorum ſuorum gloria confiſus parùm ſibi de Virtute laborandum putet, & occaſionibus peccandi, quas Nobilitas ſecum afferre complures ſolet, ſpe denique impunitatis, quam illi, cùm magnæ cognationes, tum vulgaris hominum de Nobilitate opinio polliceri ſolent,

ab honesti boniq;studio transuersus abducatur, in quam sententiam Lucillius quoque scripserat laudante Honio:

——Peccare impune rati sunt
Posse & Nobilitate facul propellere iniquos.

qua de caussa Socrates Nobilitatem, vt & diuitias, nihil habere dignitatis, sed contrà omnia in eis mala inesse dicere solebat, vt refert Laertius: qui etiam de Diogene scribit, Nobilitatem τῆς κακίας προσχημα nequitiæ velamentum appellare solitum, quòd cùm quid sceleratè fecerunt Nobiles, statim eis patrocinium à genere præsto sit, quasi nefarium sit, de homine iis maioribus orto indignum quicquam suspicari. Ignobiles contrà vix vllum, nisi in se ipsis, præsidium habere possunt, neque iis, si quid peccent, magna impunitatis spes ob majorum virtutem est proposita: ferè vt necessitate ipsa ad studium benè agendi pertrahantur. Sic igitur cùm pro Nobili sapiente ipsa res loquatur, eumque omnes peccandi illecebras virtutis studio posteriores habuisse testetur; de Ignobili autem certò statui nequeat, qualem se in hujusmodi viuendi licentia an occasione, si ea ipsi obtigisset, gesturus fuisset: quantum ille huic posteriori τῇ πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐᾳ & generositate siue indole prętstare existimādus sit, nemini non liq dò apparere puto; quamquam hæc ipsa εὐφυΐα siue indoles inter Indifferentia à Stoicis referatur.

&

& à nonnullis ipsorum, qui consuetudinem fatebitur alteram esse naturam, definiatur ἕξις ἐκ φύσεως ἢ ἐκ κατασκευῆς οἰκεία πρὸς ἀρετὴν, *habitus ex natura vel institutione ad virtutẽ aptus:* qui iidem εὐγένειαν sive Nobilitatem ajunt esse ἕξιν ἐκ γένους ἢ ἐκ κατασκευῆς οἰκείαν πρὸς ἀρετὴν *habitum ex genere vel institutione ad Virtutem aptum:* Vtrumque scilicet Indolem & Nobilitatem non minus ab institutione, quam à natura proficisci existimantes. Quare non est, quod quæ de Indole sapientis ejusdemq;. Nobilis diximus, hæc illi pro se dicta existiment, qui nisi majores, hoc est, aliena bona, crepare nihil possunt, de quibus hi sunt Epicharmi versiculi:

Πνίγομ' ὅταν εὐγένειαν, οὐδὲν ὤν, κακὸς
Λέγῃ τις, αὐτὸς δυσγενὴς ὢν τῷ τρόπῳ.
Τίς γὰρ κατόπτρῳ καὶ τυφλῷ κοινωνία;
Occidor antiquum genus quando crepat
Nihili homo, malusq;, ignobilisq; moribus
Quidnamq; cæco cum speculo est commercii?

Cuius eiusdem poetæ alios versus, quib. ridiculũ Titanũ vel Centaurorum istorum fastũ retundit, ex Stobeo hic referre non ab re fuerit. Sed quòd sint complusculi, ex Græcis bonis Latinos feci non bonos, ne vel hac in re non satis essem Stoicus. Sic igitur Epicharmus:

MAT. *Perdet genus me* FIL. *ne, si amas me ad sin-*
Mater, tuum crepa genus. naturâ enim (gula
Queis nil boni suum & peculiare inest,

Ad prisca confugere monumenta illi solent,
Et ad genus, suosq; computant auos.
At hercle nullum videris vmquam, aut dixeris
Auis carentem. nam aliter nati qui forent?
Sed hi tamen qui dicere haud queunt, loci ob
Mutationem, amicorum aut penuriam,
Illis, qui auos numerant, sunt nobiles minus?
Quisq; ad bonum natura procliuis sua est,
Vel matre natus Æthiopissa est nobilis.

Ab hujus itaque sententia, vti in multis aliis, ita neque hic discessit Plato, cùm diuisionem Nobilitatis, quam Laërtius refert, talem tradidit; Nobilitas in quatuor genera diuiditur; vnum est, Si majores honesti, boni justique fuerint, vt ex iis orti qui fuerint, hos nobiles esse dicamus: aliud est, si majores dynastæ principesque exstiterint; nam qui ex his orti sunt, eos nobiles esse ajunt: aliud si majores gloriam sint assecuti, vel quia exercitus duxerint, vel quia in certaminibus coronati sint; ex his enim natos nobiles nominamus: aliud est, cùm quis & generosus ipse, & animi magnitudine fuerit excellens; nam hunc quoque nobilem dicunt: atque hæc quidem principatum obtinet Nobilitas. Sed & Platonis condiscipulus Antisthenes, vt scribit idem Laërtius, inter alia sua placita; quæ à magistro Socrate hauserat, hoc quoque

que

que docuit: τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους eosdem esse nobiles ac virtute præditos. Ab hoc igitur Paradoxon hoc nostrum manat, quod sic Seneca exponit: Eadem omnibus principia, eademq; origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectiùs ingenium & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis, quàm Nobiles sunt. Vnus omnium parens mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus: ad hunc prima cujusq; origo perducitur. Non est, quòd te isti decipiant, cùm majores suos recensent. Vbicumque defecit nomen illustre, illicò Deum fingunt. Si quid aliud est in Philosophia boni (scribit idem ad Lucillium) hoc est, quòd stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem revocentur, à diis sunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reiicit quemquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis geris dignum. Heres autem, si hoc protinus tibi persuaserit, à nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. nullius non origo vltra memoriam jacet. Plato ait: neminem regem non ex

seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regib. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergò generosus? ad Virtutē benè à natura cōpositus. Hoc vnum est intuendum, alioqn si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante q; nihil est. A primo mundi ortu usq; in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisq; alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrū est. Animus facit nobilem, cui ex quacūq; conditione s̄ fortunā licet surgere.

Solus sapiens liber est: omnes stulti seruiunt.

HOC inter Ciceronis Paradoxa quinctò loco legitur, sed, vt dixi, sextum esse debet, elegantissimeque ab Horatio summo Philosopho & Poeta in Satyris, itemq; ab Epicteto apud Arrianum pertractatur. neq; verò ejus aut obscura aut difficilis est ratio. Libertas enim, ait Cicero, est potestas viuendi, vt velis. Soli autem hi viuunt, vt volunt, qui quid velle debeant, didicerunt, vt Plutarchus docet: siue, vt Epicteti nostri verbis potiùs vtar, Homo qui prohiberi non potest, liber est: cui res in promptu sunt, vt vult. Qui autem vel prohiberi, vel cogi, vel impediri, vel inuitus in aliquid coniici potest, seruus est. Quis verò prohiberi non potest? qui nihil alienum desiderat. Quæ verò sunt aliena? quę

pe-

penes nos non est vel habere, vel non habere, neq; qualia aut quemadmodum affecta esse vellemus. Igitur corpus alienum, item partes ejus alienę sunt. quorum si quid te tamquam propriũ delectarit, pœnas dabis, vt is, qui res alienas concupiscit. Sed volo, inquis, quicquid mihi visum fuerit, euenire, quomodocumque visum fuerit. Insanus es, deliras. nescis rem pulchram esse Libertatem, & magni momenti: me autem temerè velle, & temerè decreta fieri, id adeò non videtur pulchrum esse, vt omnium etiam turpissimũ sit. Quid enim: nonne in Grammaticis cùm Dionis nomen scripturus es, non scribis, vt vis, sed vt scribendum est? nonne idem est in Musicis omninoq; in cujusuis artis ác scientiæ genere? nã quod alioquin operę pretium foret, si res cujusque voluntati accommodarentur? neq; hoc tamen libertatem tuam impedit. Et hic igitur tantùm, in re maxima & pręcipua, permissum erit tibi temerè velle? nequaquam. Sed illud est erudiri, si discas ita velle fieri omnia, vt fiunt. Quomodo autem fiunt? Vt ea disposuit is, qui disposuit. Hic autẽ sic disposuit, vt alia in nostra potestate essent, alia in aliena: vtq; Appetitionem & Fugã in iis tantùm, quæ nobis parent, exerceremus. Huic dispositioni sapiens paret, adeoq́ue verè liber est. Stultus autem, dum ea appetit aut auersatur, quæ aliena sunt, ipse sibi Dominũ adsciscit, seq; seruum efficit. Dominus enim is est, qui ea in potestate habet, quæ à te vel expetun-

tur,vel fugiuntur,& omninò qualiscumque res externa fuerit, pretium ejus & æstimatio subjectos alteri facit, &, vt paucis absoluam, illud memento: Si quid extra liberam voluntatem amiseris. Humilis res est stultitia, ait Seneca, abjecta, sordida, seruilis, multis affectibus & sæuissimis subjecta. Hos tam graues dominos, interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit à se sapientia, quæ sola Libertas est. Rectè proinde Epicurus: Philosophiæ, inquit, seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. non differtur in diem, qui se illi subjecit & tradidit: statim circumgiratur. hoc enim ipsum Philosophiæ seruire, Libertas est. Quæres, an etiam sapiens, quoties ad magnates accedit, *Dominos* eos sit appellaturus? Respondet tibi Epictetus: Non loquor de nomine: neque enim vocabulum extimesco, sed affectum, vnde vox proficiscitur.

Solus sapiens Rex est.

HOC quo pacto intelligendum sit, ex supra dictis liquet. Audiamus nihilominus Laërtium de Stoicis loquentem: Nec verò solummodo liberos esse sapientes dicunt, sed etiam Reges. siquidẽ Regnum principatus est, nullius imperio subjectus, qui in solis consistere potest sapientib. qui n. princeps futurus est, eũ bonorũ malorũq; rationem cognitam habere oportet. nemo autẽ improbus hæc cognoscit. Cato etiã apud Cicer: Rectiùs, inqt, sapiẽs appellabit̃ Rex, quàm

quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. Si vis omnia tibi subijcere (ait Seneca) te subijce rationi: multos reges, si ratio te rexerit. Cùm enim eos regat affectus sapiens, quibus regum maximorum animi subiecti sunt, iræ, amori, voluptati, ambitioni, & similibus, solum illum Regis nomine dignum esse apparet.

CAP. CXXXI.

ATQVE ista sunt *Admirabilia* illa Stoicorum seu *Paradoxa*, quæ à nostris Philosophiæ ꝓfessoribus accuratissimè tractari, & iuuenum animis instillari, & inculcari suaserim. quamuis enim non ignorem, propter illa potissimum fortissimam & sanctissimam hanc sectam malè vulgo audire, si tamen hoc, quo dixi, modo intelligantur, non à sinceritate tantùm Catholicæ fidei (quam exercitij etiam gratia vel leuiter migrare aut contra eã disputare religio mihi fuerit) sed à reliquorum quoq; maiorum gentium Philosophorum ratione minus discrepare ea comperiemus: id quod cuiuis ex sententiarum, quas de summo bono sectæ istæ tenuerunt, inter se comparatione planum fiet: quam ipse quoq; Aristoteles in peruestiganda summi boni natura instituendam sibi putauit. Summum igitur bonum tale esse dicit Cicero, vt ad id id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam: Aristoteles hoc amplius addit, vt sit αὐταρκὲς, hoc est, se ipso contentum, quodque nullo alio indigeat, quod denique aliorum bonorum accessione

cessione melius magisq; expetendum fieri nequeat. Hoc Epicurus in Voluptate ponit, vt Voluptas sit summum bonum, summumque malum Dolor. Cùm autem Voluptas propriè sit iucundus motus, quo sensus hilaretur, ipse vacuitatem quoq; doloris siue *Indolentiam* hac voce complectitur, & illã quidem priorem, Voluptatẽ *mouentem*, hanc verò *Stantem* appellat. Vtramq; verò vel animi, vel corporis esse dicit, quamquam Stantem animo potius tribuit, eamq; multo Voluptate corporis maiorẽ prædicat. Nam corpore, inquit, nihil nisi præsens & quod adest, sentire possumus: animo autem & præterita & futura. Maximam igitur Voluptatem haberi putat Epicurus, quæ percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam cùm priuamur dolore, ipsa liberatione & vacuitate omnis molestiæ gaudemus: omne autem id, quo gaudemus, Voluptas est, vt omne id, quo offendimur, dolor: doloris omnis priuatio, siue Indolentia, rectè nominata est Voluptas. Porrò Cupiditates siue Appetitiones, ex quibus, nisi à ratione dirigantur, non Voluptas, sed dolor nasci solet, sic diuidit vt aliæ sint *Naturales*, aliæ *Inanes*: Naturales rursum vel necessariæ. *Necessarias* vocat, quarum expletione tollitur dolor, vt potus sitim adimit: *Non necessarias* eas, ex quibus voluptas tantummodo variatur, neq; aliquid dolẽs subducit, vt epularũ magnificẽtia: *Inanes* aũt, quæ nec sint naturales, nec necessariæ sed ex inani opinione proficiscantur, cuiusmodi sunt coronæ & statuarum collocationes. Harum eam esse rationẽ

cionem docet, vt quæ tantùm *Naturales* ſunt, pauca deſiderent, propterea quod ipſa natura diuitias, quibus contenta eſt, & parabiles & terminatas habet: *neceſſarias* etiam nec opera multa, nec impenſa expleri: *Inanium* verò cupiditatum nec modum vllum, nec finem inueniri poſſe. Ceterùm quia *Voluptatem* ſummum bonum eſſe ſtatuit, omnia etiam propter illam expetenda dicit, vt *Sapientiam*, quia omnes vias docet, quæ ad quietem & tranquillitatem ferant; vt *Temperantiam*, quia dum ratione cupiditates regit, pacem animis affert, cùm maximam ſic adipiſcamur Voluptatem prætermittenda Voluptate: vt *Fortitudinem*, quia dum dolorum mortiſq; contemptum docet, omni nos moleſtia liberat: vt *Iuſtitiam*, quia dum nemini nocet, noſq; caros alijs efficit, rectiq; ſibi conſcia eſt, tutiorem vitam & voluptatem reddit pleniorem. Eamdem reliquarum quoq; virtutum & officiorum rationem eſſe dicit, vt propterea quòd omni moleſtia nos liberent, vitamq; efficiant trãquillam, expeti debeant. Atq; hinc liquido perſpicitur, quàm verè Seneca, quamuis Stoicus, de Epicuro ſcribat: Non dico, quod pleriq; noſtrorum, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe; ſed illud dico: Male audit, infamis eſt, & immeritò. nec hoc ſcire quiſquam poteſt, niſi interius fuerit admiſſus. Mea quidẽ iſta ſentẽtia eſt (inuitis hoc noſtris popularib. dicã) *ſancta Epicurũ & recta p̄cipere, & ſi ꝓpius acceſſeris, triſtia.* Voluptas n. illa ad paruũ & exile reuocatᷣ, & q̃ nos Virtuti legẽ dicimus eã

ille

ille dicit Voluptati. Iubet illam parere naturæ. Parum est autem luxuriæ, quod naturæ satis est. Ipse etiam Cicero, quamuis sectæ huic iniquior, virum optimum, & in tuendis officiis constantissimum Epicurum, in Philosophia tamen non perinde acutum fuisse testatur. Sed præstat ipsum loquentem audire, vt sui oris propriæque confessionis beneficio vel laudatus, vel excusatus abeat. In epistola igitur eius ad Menœceum & hæc verba legimus: Se ipso contentum esse, id magnum bonum arbitramur, non vt omnino paucis vtamur, sed vt, nisi multa habeamus paucis vtamur: verè persuasum habentes, eos quàm jucundissimè deliciјs perfrui, qui his ipsis minimè indigent: atque omne, quod naturale est, parabile esse; inane verò quod sit, difficilius comparari: tenuioremq; victũ æqualem sumptuosis epulis voluptatem adferre, cùm omnis ex fame dolor ademptus fuerit: atque etiam ex cibario pane, & aqua, summa iucunditas percipitur, si quis indigens ea gustauerit. Itaq; tenui, neq; sumptuoso victui adsuescere, & sanitatis est efficiens, & ad necessarios vitæ vsus hominem reddit impigrum, & nos ad magnificas epulas ex interuallo accedentes melius afficit, atque aduersus fortunam minimè timidos reddit. Ergò voluptatem finem esse dicimus, nõ asotorum siue helluonum, neq; in fruendo positas Voluptates dicimus, vt quidem ignorantes, neq; assentientes, aut non rectè intelligentes existimant: Sed vt neque corpore doleamus, neq; animo perturbemur. Non

enim

enim potus &comissationes,non concubitus cum mulieribus, non sumptuosarum epularum gustatus, iucundam vitam efficiunt, sed sobria ratiocinatio, quæ & omnis expetitionis & fugæ caussas requirit,& opinationes expellit, ex quibus animus quamplurimis afficitur perturbationibus. Horum verò omnium initium,idemque maximum bonum prudentia est. Quocirca & Philosophiæ præstat Prudentia, ex qua vna reliquæ omnes natæ sunt Virtutes, quibus docemur, non posse nos jucundè viuere,nisi prudenter & honeste:nec rursus iustè,nisi iucundè viuamus. Sunt enim iucundæ Vitæ virtutes innatæ,neq; ab his iucunda vita separari potest.

CAPVT CXXXII.

SED vnum est, quod in primis inuidiam facit Epicuro, quòd Deos nullam omnino humanarum rerum curam gerere credidit. quod tamen si tam candidè ad animos nostros peruenire patiamur,quàm simpliciter ab ipso dictum est,non difficulter errori hominis minimè mali veniam dabimus. Neq; enim Deos esse negauit, sed vt veriùs eos,quàm vulgus, coleret, molestam illã, vt putabat,vniuersitatis administrationẽ,ab illis abiudicauit. Quod enim (aiebat) beatum est & immortale, id neque ipsum negotij quicquam habet, neq; alteri exhibet,vt neque ira,neque gratia teneatur:in quo enim eiusmodi insunt,omne hoc imbecillum est. Et in epistola quidem ad Menœceum ita scribit: Primùm omnium Deum animal immortale bea-

beatumq; existimato, quemadmodum communis Dei notione definitum est: nihilq; ei, quod aut ab immortalitate alienum, aut ad beatitudinem parùm accommodatum sit, adiungito. Omnia verò, quæ illius immortalitati coniunctam beatitudinem seruare possunt, in eo opinare. Etenim Dij quidem sunt (est enim illorũ cognitio perspicua) quales autem eos multi existimant, non sunt non enim eos tales tuentur, quales existimant. Nec verò ille impius est, qui multitudinis Deos tollit, sed qui multitudinis opiniones Dijs accommodat. In eundem sensum elegantissimi quoq; apud Lucretium Epicuræum versus leguntur, sed illi iam in vulgus noti sunt. Petronij epigramma, quod eadem de re agit, non possum, quin apponam. Vult apud eum docere adulescens, vitio sibi dari non oportere, si de rebus voluptarijs Latinè, hoc est, liberiùs loquatur, & suo quidque nomine appellet, contemptis aliorum, qui diuersa sentiant, reprehensionibus: nam & illos, qui liberius dicta ferre non possunt, falsis opinionibus laborare, & sibi autem fictam grauitatem minimè conuenire: ipsorum denique Deorum vitam ex Epicuri sententia hoc vno felicem esse quod de alijs parum sint soliciti, neq; an alienum iudicium se componere, aut metu infamiæ grauitatem fingere laborarent. Sic autem loquitur:

Quid me constricta spectatis fronte Catones:
Damnatisq; noua simplicitatis opus?

Sermo-

Sermonis puri non tristis gratia ridet,
Quodq́; facit populus, candida lingua refert.
Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit?
Quis putat in calido membra tepere toro?
Ipse Pater veri doctus Epicurus inertem
Iussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Fateor, paullò aliter hæc legi in eorum editione, q̃ sibi tantùm debere Petronium volunt, & furijs inquietari, vel, si ipsorum lingua, non nimis, quod scire eos velim, Latina loqui præoptem, *furijs circumamiciri* putant, quicumque post ipsos vel nominare Petronium audent: quos equidem cum tanta eruditione, quantam ipsi sibi arrogant, non contemno, sed hoc certè loco, vt & alijs nonnullis, optimas ridere cupienti lectori frustrationes daturos existimo. Ceterùm mutatæ lectionis rationem reddere, minùs necessarium videtur. Sextus enim versus cùm ipse pro se loquitur, tum nonnihil à Catullo & Cn. Matio lucis mutuatur: quorum istius versus est: *Frigida deserto tepefecit membra cubili*: huius autem: *Sinuque amicam refice frigidam caldo.* Vix vt quemquam posthac vulgatæ lectionis approbatorem futurum existimem. Ea verò talis est: *Quis petat in tepido membra calere toro?* Postremum versum nonnulli codices item, vt nos legimus, scriptum exhibent. In eo, qui à postremo proximus est, cùm legeretur antea: *Epicurus in arte*, feci, *Epicurus inertẽ*: quomodo Tibullus: *Me mea paupertas vita tradu-*

traducat inerti. Sed molesti mihi iam erunt Petroniani Correctores, & violatę Latinitatis dicam impingent, qui quidem, *Iussit inertem vitam*, pro Latino venditem. Quare vt genus irritabile placem, Tertulliani locum (neque enim ita beatuli & pulchelli sumus, vt ad singula pœnè vocabula cumulum numquam nobis nec lectorum, nec visorum auctorum scrinijs alienis adiuti laudare possimus) correctioni huic meæ fundum dabo, qui legitur in libro aduersus Valentinanos: cap. VII.

Sit itaq; Bythos iste (*Deus Valentini*) infinitis retrò æuis, in maxima & altissima quiete, in otio plurimo placidæ &, vt ita dicam, stupentis diuinitatis, qualem iussit Epicurus.

Valde autem fallor, aut *Iubendi* verbum ad κυρίας δόξας Epicuri respicit, quibus ille non tam Philosophi more disputare, quam domini exemplo iubere videbatur: neque aliter Senecam accipio, vbi sic scribit: *Voluptas illa Epicuri ad paruum & exile reuocatur, & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati: Iubet illam parere naturæ.* SED exaudire iam videor eos, qui quærant, vbi sit iudicium illud Scioppij, à quo melioris notæ scriptores commendationem sibi petere solent. Hæc enim Critica, leuioris quippe operæ, Philosophicis immiscere disputationibus, non esse, nisi eius, qui libros in media Germana scribere didicerit. Quibus ego respondeo; primùm, me publicum hic negotiũ agere, de ingenij verò vel iudicij lau-

de

de adeò non esse sollicitum, vt & ipse θεὸς ἐπικούρειος videri possim, nisi vetet hoc ipsum, quod publicæ rei satagere me dico: à qua cura & Deum & sapientem suum eximit Epicurus, vt ex superioribus nobis liquet, & liqueret etiam ex Tertulliani Apologetico, cuius capite xxxviii. hæc verba in optimis & vetustissimis membranis à Fuluio Vrsino olim meo inspectis leguntur:

Sed licuit Epicureis aliquā decernere Voluptatis veritatem ἀταραξίαν ϰ͵ ἀπραξίαν, id est, animi æquitatem, & requiem à publicis negotiis.

liqueret, inquam, nisi locus ille pessimè vulgò conspurcatus, & tantum non in contrariam sententiam immutatus legeretur: quem ego hic corrigo, vt omnino de iudicij laude parum me laborare videas: Deinde autē possum dicere, tam hunc, quem modò ex Tertulliano proposui, quàm illum Arbitri locum nequaquam hinc esse alienum, & nisi Teutonico ritu, ingratis attrahatur inculceturq;, nulli ad institutam disputationem vsui futurū. quis enim non videat, Epicuri de Voluptate & Deorum ἀπραξία sententiam, hinc lucem fenerari? Non mentiar etiam, si tagaces quosdam & Geryonacei generis Criticos ac furunculos, *per quos non licet esse negligenti*, vereri me fatear, ne suum scilicet faciant officium, quodq; amicam quamdam suā fecisse ait lena illa:

Eamdem puellam pariant, quā à me acceperant.

M Sine

Sine obstetricis opera & sine doloribus. Sic enim sæpius vsu venisse mihi memini, vt ferè decreuerim ingenioli nostri fetus, quantumuis informes & patri suo similes, ipse potius præterhac tollere, quàm aliis exponendos dare, hoc est, amicis istis inuenta mea publicandi laborem minuere sed quid multis? SATYRICON scribere institui. quis ergò judicium meum accuset, si facio, quod factum ipse index & titulus libri promittit? Grãmaticus non erubescit solæcismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens. idem mihi nunc vsuuenit. Alioquin næ ego verè περίεργος sim, neq; tenuissimam iudicij partem vmquã possedisse videri queam, si nullo discrimine, vt quicq; in buccam venit, chartis illinerem, & loco alienissimo tractarem, immemor scilicet eius, quod in Lucillio suo laudat Seneca meus: Audi, quid me in epistola tua delectauerit. Habes verba in potestate: non effert te oratio, nec longiùs, quàm destinasti, trahit Multi sunt, qui ad id, quod non proposuerant scribere, alicuius verbi decore placentis vocentur: quod tibi non euenit. Pressa sunt omnia, & rei aptata. Loqueris, quantum vis, & plus significas, quàm loqueris. Hoc maioris rei indicium est. apparet animum quoque nihil habere superuacui, nihil tumidi. Ne ergò nequicquam hæc legisse videar, ad propositam nostram disputationem reuertor. Epicuri igitur error iste fuit sine dubio grauissimus, quòd diuinam prouidentiã sustulit, sed error tantùm, non malitia. Maiori enim honore Deos hoc

pacto afficere se putauit, si eos ab omni turba rerum quàm longissimè remotos in summa & altissima quiete collocaret. Quamuis autem hoc nomine omnibus sæculis grauissimè, neq; tamen immeritò, vapularit, dicere nihilominus ausim, neminem ex omnibus, qui ipsi insultarint, Philosophis ethnicis, meliorem illo virum fuisse, Deósque religiosius coluisse. Non deerunt, quibus Paradoxa, sed Epicuræa, cudere velle videar: qui nimirum absurdissimum esse credunt, vt quis Deum colat, quem res humanas omninò non curare existimet,

Nec bene promeritis capier, nec tangier ira.

Atqui hoc ipsum est, quod eius pietatem (qualis scilicet in ethnicum cadere potest) præter cetera commendat. Nempe colit Deum, nulla spe, nullo pretio inductus, propter maiestatē eius eximiam singularemque naturam. Et hoc si fecit Epicurus (vt fecisse eum Seneca credidit) dubitabimus adhuc omnibus eum Philosophis pietatis & religionis nomine præferre? Atq; hoc pacto sententiam eius de summo bono satis jam nobis, quamquam non nisi ἐν κεφαλαίοις καὶ στοιχειωδῶς perpurgatam puto.

CAPVT CXXXIII.

IAM quid alij plebeij & minorū gentium Philosophi eadem de re statuerint, nihil hic referre & explicare attinet. nā vt rectè Aristoteles & exēplo, & ratiōe nobis pīt in oēs opiniones, quas nōnulli de sumo bono cōceperūt, inqrere, inane ac supua-

caneum fuerit.multa enim videntur & puerulis,& mente captis, & ægrotantibus, cum primis autem Aulicis nostris, Ambitionis & Auaritiæ Candidatis, de quibus nemo mentis compos dubitauerit: nisi si quis contendat, de fabrorum quoq; ferrariorum,& Anatũ anserumq; vita disputandũ esse, cũ his,q madent, illis, qui algent, felicitatẽ opinione sua adiudicent, velut ex duorum illorum naufragorum sermone apud Plautum videre est:

CHAR. Vt fortunati sunt fabri ferrarij,
Qui apud carbones assident, semper calent?
LAB. Vtinam fortuna nunc anatina vterer,
Vti, cùm exiuissem ex aqua, arerem tamen.

Abundè autem huic parti satisfiet, si eas consideremus, quæ maximè eminent, quæq; ratione aliqua niti videntur. Omnes enim ferè sentẽtiæ, quæ quidem non penitus absurdæ sunt, accedunt quodãmodo ad veritatem. Si cui tamen curiositatem suam exercere libet, multa de varijs diuersorum sententijs à Cicerone libris quinq;, maximè quinćto de finibus, itemq; quinćto Tusculanarũ, & à Clemente Alexandrino secundi Stromatum capite nono disputata reperiet. Nos interim quid *Aristoteli* & *Peripateticis* videatur, consideremus. Illi igitur neque Voluptatem, neque Virtutem summum bonum vocant, sed exercitationem animi cum Virtute coniunćtam, hoc est, non habitum & possessionem, sed vsum & ačtionem Virtutis. Cuius quidem rei hanc reddunt caussam, cùm quòd Ačtio habitu & possessione sit præstantior (posses-

sio

sio n. est propter habitũ, habitus propter actionẽ) tum quod ex actione semper bonum aliquod oriatur, ex habitu non item: quòd euenire possit, vt qui Virtute præditus est, & dormiat, & in tota vita nihil agat, ac præterea multis versetur in malis fortunaq; vtatur maximè aduersa, quem nemo perfectè felicem dixerit. Quamuis igitur in bonis animi felicitatem seu summum bonum (vtrouis enim vocabulo appelles licet) situm esse dicant, externa nihilominus bona seu fortunæ, itemque ea, quæ in corporibus insunt, ad felicitatem necessaria aiunt, cuiusmodi sunt pulchritudo, nobilitas, εὐτεκνία, quæ est, prosperitas in suscipiendis liberis, patria, parentes, amici: hæc enim velut instrumenta esse ad Virtutem melius perficiendam, & si absint, beatam vitam obscurari aiunt, non tamen infelicem effici. Hoc perinde est, ac si dicant, eum, qui Virtute præditus sit, esse quidem beatum, sed non beatissimum: miserum certè non esse. De *Voluptate* verò sic existimant, eam cum felicitate perpetuò coniunctam esse, quòd exercitationes animi, siue, virtutum actiones, per se iucundæ sint, & voluptate virum bonum afficiant, adeò vt qui voluptatem ex ijs non capit, vir bonus nequaquã haberi possit. Et hæc quidem Peripatetici, quamuis non vsque adeò ex sensu Aristotelis; quibus plerosque Academicos similia docuisse constat. *Socrates* autem, eumque secutus *Plato*, quin beatã vitam in Virtute posuerint, solumq; honestum verè bonum esse crediderint, præter scripta Platonis,

derint, præter ſcripta Platonis, etiam Cicero in Paradoxis & Academicis quæſtionibus, & Clemens Alexandrinus dubitare nos vetant: Sic vt meritò hæc *Stoica* Philoſophiæ pars *Socratica* appellari debeat. *Sunt enim Socratica*, ait Cicero, *pleraq; mirabilia Stoicorum, quæ Paradoxa nominãtur.* Vt igitur ad id, quod ſuprà poſueram redeat oratio, parum abeſſe iam cõſtat, vt hoc præclarum quaſi decretum beatæ vitæ, quod Virtute eam definit, eminentiſſimorum quorumq; Philoſophorum ſententijs & diſciplinis conueniat. Stoici enim *Finem bonorum* alias dicũt eſſe ſecundum naturam viuere, alias Deum ſequi, alias ex Virtute viuere, quæ tamen idem ſignificant, nempe Honeſtum ac propterea ſapientem, ſeu virum bonum, eſſe beatum & beatiſſimum, etiam omnibus illis, quæ corporis & fortunæ bona appellantur, ſpoliatum, & in doloribus conſtitutum: Eum etiam ex Virtute Gaudium ſemper ſentire (quamuis illud gaudium, vt apud Senecam videre eſt, ſummi boni partem eſſe negent) neq; vmquã animum ſubmittere. *Epicurus* autem finem bonorum, ſeu ſummum bonum ponit in Voluptate ſeu Indolentia cum Virtute coniuncta, quod & ipſum ſit ſecundum naturam viuere; aitque ſapientem ſemper beatum eſſe, etiam in tauro Phalaridis animũ nõ ſubmiſſurũ, ſed voluptate animi gauiſurum. *Peripatetici* & *Academici* ſummũ bonũ in Virtutis actione collocant, cui tamen Voluptas vel Indolentia cohereat & annexa ſit: ſapientem verò, ſi-

ue bonum virum, externis bonis ſpoliatum, & in dolore conſtitutum, nihilque agentem eſſe quidem beatum (vel certè non miſerum) non tamen beatiſſimum: poſſe enim beatiorem fieri, ſi externa illa & corporis bona accedant. Præterea Stoici animi actiones tantùm bonas eſſe dicunt, ſiue, Honeſtum quod eſt, id ſolum Bonij nomine appellant; Malum verò, quod Honeſto contrarium: reliqua vel corporis vel externa, non Bona, ſed Præcipua, Producta, Præpoſita, Promota & Commoda: nec Mala, ſed Incommoda, Reiecta, Remota vel Reiectanea vſurpant: nihilq; , niſi bonum, expetendum, nec niſi malum, fugiendum; reliqua vel ſeligenda vel reijcienda dicunt. Peripatetici & Academici animi actiones, præſtantiſſima bona: reliqua pro pediſſequis & ancillantibus, felicitatiſque vel inſtrumentis, vel ornamentis habent: & quæ Stoici Incommoda, ipſi Mala vocant, ſed exigua & porrò minima. Epicurus ſolam Voluptatem Virtute coniunctam ſummum bonum vocat, reliqua Bona quidem, ſed non magnopere æſtimanda, cùm ſint paratu facilia. Hæc igitur qui diligentiùs conſiderauerit, veriſſimum eſſe comperiet, quod non ſemel affirmat Cicero, Stoicos à Peripateticis & Academicis nõ tam re, quàm verbis & loquendi modo diſſidere: id ꝙ etiã de Epicureis ꝓpè eſt vt affirmẽ. Ipſi enim Voluptatẽ eſſe nõ putãt ſine Virtute: hi alteri Virtutẽ ſine Voluptate ſiue Gaudio nũquã ponũt. Sed ſuperuacuum fortè fuerit pluribꝰ verbis hoc cõfirmare velle, eruntq;

qui

qui me commodiùs facere censcant, si quam ex istis de summo bono sententiis optimam, & in Philosophicis nostris scholis tuendam arbitror, breuiter exponam, à quorum judicio cùm nec ego dissentiam, attentiùs paullò in totius hujus rei veritatem inquirere nequaquam me pigebit.

CAPVT CXXXIV.

STOicorum itaq; sententiam reliquis omnibus tanto præstabiliorem judico, quanto ad Christianæ fidei sinceritatem propiùs accedere videtur. Iam verò, vt rectè Comicus monet,

Id est optimum, tute vti sis optimus:

Si id nequeas, saltim vt optimis sis proximus.

Quare hoc jam nobis propositum esse debet, vt eam, quam præ aliis sectis Stoica habet cum Fide nostra conuenientiam & similitudinem, ostendamus. Sicut igitur Stoici vnam eamdemq; rem diuersis verbis efferunt, *Finemq;*, seu *Summum bonum*, siue *Beatitudinem*, modò ex Virtute, modò secundum naturam viuere, aliàs Deum sequi, aliàs deniq; Honestum vel Virtutem vocant: item nos Christiani Finem, vel Vitam æternam, vel Beatitudinem, vel Regnum cœlorum, nunc quidē in hoc collocamus, vt cognoscamus Deũ, aliàs, vt eũ diligamus, eũ sequamur & in præceptis ejus ambulemus. Perspicuũ hoc est ex Apostoli verbis: *Deo seruientes habetis fructum vestrum in sanctificationem: Finem autem, Vitam æternam.* Et ex ipsius Domini nostri definitione:

tione: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quod autem hæc Dei cognitio, etiam cultum ejus complectatur, ipse nos Deus in Deuteronomio docet, vbi *obedire voci eius*, & illi adhærere, hoc ait *esse Vitam nostram.* Et Ioannes Apostolus: *In hoc*, inquit, *scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.* Quoniam igitur Mandata ejus ipse Christus hac compendiaria comprehendit.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum: Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ:

Apparet Finem nostrum seu Summum bonum esse in Virtute positum. Dilectio enim Dei & proximi omnes in se Virtutes, & quæ ab iis proficiscuntur Actiones, complectitur. Sit igitur hoc firmum & fixum Christianæ Philosophiæ Decretum: *Summum hominis bonum esse in dilectione Dei & proximi, siue, in Virtute positum:* cui consequens est, vt beatus sit & beatissimus, qui est Virtute præditus. His consentanea, vt apparet, dicunt Stoici siue Socratici, & hoc er-

go nomine Ariſtoteliis præferri merentur. Nam quod ab Ariſtotele contradicitur, fieri poſſe, vt qui Virtute præditus eſt, & dormiat in tota vita, & multis in malis verſetur, ac propterea nihil agat; quem tamen, inquit, nemo felicem dixerit: id neque Stoicis, neque Chriſtianis Philoſophis negotium faceſsit. Quid enim? dubitabimus, an, qui Deum proximumq; diligit, ſi vel dormiat, beatus eſſe poſsit? & vllam putabimus ſapienti tam atrocem calamitatem incidere, poſſe, quæ ipſum in Virtute, hoc eſt, charitate Dei & proximi, impedire, eique quaſi ferias Virtutis & otium indicere inuito queat? Licuerit hoc Ariſtoteli, veræ Virtutis prorſus ignaro: noſtris quidem certe Peripateticis hac de re ambigere nefas eſt. Clamat enim Apoſtolus: Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (*an ſomnus, vt Ariſtoteli videtur?*) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neq; angeli, neque principatus, neque virtutes, neq; inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profunditas, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Seneca etiam pro Stoicis ſuis ſic defendit: Sicut Solis vis & lux integra eſt etiā inter oppoſita; eodem modo oppoſita Virtuti nihil detrahunt, non eſt enim mi-

minor, sed minùs fulget. Nobis forsitan non æque apparet ac nitet: sibi eadem est, & more solis obscuri in occulto vitam suam exercet. Sapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab aliis tempestatib. vitæ. Non enim prohibentur opera ejus omnia, sed tantùm ad alios pertinentia: ipse semper in actu est, tunc maximus, cùm illi se fortuna opposuit, tunc ipsius sapientiæ negotium agit, quam diximus & alienum bonum esse, & suum. Præterea nec aliis q; dem tunc ꝓdesse prohibetur, cùm illum aliquæ necessitates premunt. Propter paupertatem ꝓhibetur docere, quemadmodum tractanda resp. sit: at illud docet, quemadmodum tractanda sit paupertas. Per totam vitam opus eius extenditur. Ita nulla fotuna, nulla res, actus sapientes excludit. Id enim ipsum agit, quo alia agere prohibetur, ad vtrosq; casus aptus est: bonorum rector est, malorum victor. Sic inquam, se exercuit, vt virtutem tam in secundis, quàm in aduersis exhibeat, nec materiam ejus, sed ipsam intuatur. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quicquam aliud, quod imperitos aduertit & præcipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? Vtitur. Non ex ebore tantùm Phidias sciebat facere simulacra: faciebat ex ære. Si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens Virtutem, si licebit, in diuitiis explicabit; si minus, in paupertate: si poterit, in patria; si minus, in exsilio: si poterit, Impe-

rator; si minùs, miles: si poterit, integer; si minùs, debilis: quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Est enim, vt compendio cũ Aristone Chio dicam, Sapiens bono histrioni similis, qui siue Thersitæ, siue Agamemnonis personam susceperit, vtramque aptè sustinet. Non igitur nihil agere existimandus est, qui non omni ex parte pariter omnia sapientis & Beati munia exsequitur, nam artifex est etiam, cui ad exercendã artem instrumenta non suppetunt: nec minùs canendi peritus, cujus vocem exaudiri fremitus obstrepentium non sinit. quomodo est disertus, etiam qui tacet: fortis, etiam qui compressis manibus, vel etiam alligatis: quomodo gubernator, etiam qui in sicco est: (quoniam consummatæ scientiæ nihil deest, etiam si quid obstat, quo minùs se vtatur) ita Virtutes singulas sapiens possidet, tametsi materia, in qua eas exerceat, præsto ei non sit. Sed quid multis? nihil ergò sapientem in calamitatibus constitutum agere existimabimus, cùm Deo testimonium perhibeat, eosque qui vel prouidentiam ejus accusant, vel grauia & humanæ imbecillitati intolerabilia imponi ab ipso conqueruntur, suo exemplo redarguat? Sic certè de Iobo Clemens Alexandrinus existimat, dum scribit: Is qui patientia sua superauit tentatorem, & simul fuit testis, & à Deo accepit testimonium. Et Epictetus apud Arrianum, eum, qui omnibus fortunæ bonis exuatur ac spo-

ſpolietur, vt teſtem à Deo aduerſus vulgarem errorem citari ac produci, & ſi ſapiens ſit, operam ſedulò dare ait, ne exemplo ſuo ea pro teſtimonio dicere videatur, quæ ignominiam concilient Deo, qui tantum ipſi honorem habuit, dignumque cujus tanta de re teſtimonium audiretur iudicauit. Sic ergò apparere & planum eſſe exiſtimo, nequaquam Ariſtotelia concluſiuncula permoueri nos debere, quo minùs ſummum bonum & felicitatem noſtram in Virtute collocemus. In ipſius porrò Virtutis tractatione nihil immorari nos attinet, qui cùm perfectam hominis beatitudinem quæramus, omnia Virtutum genera, tàm theologicarum, quã humanarum intelligimus. Non eſt ergò quod nos impediat, ſi modò huic, aliàs alii Virtuti felicitatis noſtræ ſummam in ſacris Scripturis tribui videamus. Ioannes enim Baptiſta: *Qui crediderit*, inquit, *in filium habet Vitam æternam.* Et aliter Ioannes Euangeliſta: *Vitam*, inquit, *habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei.* Quod his duobus & mille aliis locis *Fidei*, matri ſcilicet omnium virtutum (*Sapientia enim*, ait Salomon, *eſt in ore fidelium*) id aliàs aliis Virtutibus tribuitur: quòd omnes ſcilicet inter ſe ſint connexæ, neque alia ab aliis ſeparata haberi queat. Iure ergò, inquit Clemens Alexandrinus, ſi de his Virtutibus adhuc tractauerimus de omnib. conſiderauerimus, quoniam qui ha-

bet

bet vnam cognoscendo Virtutem, omnes per mutuam habet connexionem & consequentiã.

CAP. CXXXV.

CEterùm quia in Stoica Philosophia hoc vno Decreto posito summum bonum esse Virtutem, seu Honestum, reliqua quæ docent pleraq; omnia necessariò consequuntur, idque ob admirabilem illam compositionem disciplinæ incredibilemq; rerum ordinem, de quo apud Ciceronem Cato ait, sic aliud ex alio necti, vt si vllam literam moueris, labent omnia, neque tamen quicquam esse, quod moueri possit: quod etiam Academicus Piso sic suo testimonio confirmat: Et hercule (fatendum est enim, quod sentio) mirabilis est apud Stoicos contextus rerum; respondent extrema primis, media vtrisq;, omnia omnibus: quid sequatur, quid repugnet, videt: necesse est similiter in Christiana Philosophia ex illo, quod posuimus, fundamẽto sanctissima quæq; Decreta exsurgere. Cùm igitur Virtutem, siue cognitionem aut dilectionem Dei (neq; enim quomodo appelles refert) summum bonum vel vitã nostram esse dixerimus, verissimum sit oportet, vt *Virtus propter se sit expetenda*. Hoc Decretum Paradoxon & admirabile multis accidet, cũ tot sint sacrarum literarum loca, quib. mercedis & præmii consequendi caussa jubemur mandatis Dei parere: non dubitat tamen Clemens Alexandrinus, præstantissimus vtiq; inter Christia-

nos Phil. firmiter & quasi mordicus sententiam hanc tenere, velut ex iis, q̃ subiiciã videre licet. In sexto Stromatum: Perfectissimũ, inqt, bonũ est cognitio Dei, quę p̃ se est expetẽda: per consequentiam autẽ, bona quoq;, quæ p̃ eam consequuntur. Suscipiamus ergò cognitionem, nõ ea, quę inde eueniunt, cupientes, sed ꝓpter hoc ipsum solum, nempe vt cognoscamus, eam amplectentes. Et in septimo, vbi de Martyribus disserit: Propter suam, inquit, in Deum charitatem lubentes parent vocationi, nullum aliũ sibi scopum ꝓponentes, nisi vt Deo placeant: non aũt propter præmia laborum. Nam alii ꝓpter quasdam lætitias & voluptates post mortem futuras patiuntur, pueri in fide: beati quidem, sed qui nondum sint viri in ea, quæ est in Deum charitate, sicut est Gnosticus, hoc est, sapiens Christianus, Dei nempe cognitione præditus. Sicut enim sunt in gymnicis certaminibus, ita etiam in Ecclesia, coronæ virorum & puerorum. Charitas autem est ipsa propter se eligenda & expetenda, non propter aliquid aliud. Et in nono Cleanthis Stoici versus hos probat:

Seruilis est, qui opinionem respicit,
Vt consecuturus aliquid per hanc boni.

Et in quarto: Existimo oportere neque propter metũ supplicii, neq; ꝓpter aliquã doni ꝓmissionẽ, sed ꝓpter ipsũ bonũ accedere ad v̾bũ salutare. Et tales qui sunt, stant à dextris sanctuarii Qui autem pro donatione eorum, in quæ cadit

corruptio & interitus, existimant se vicissim accepturos incorruptionem, in duorum fratrum parabola vocati sunt mercenarii. Et paulò post: His armis munitus Gnosticus siue Sapiens, Domine, inquit, da caussam & afflictionem, & accipe ostensionem: accedat, quod est graue & formidabile. Pericula ego despicio propter meam in te dilectionem.

Nam sola Virtus rebus in mortalium
Non militia ex clipeis capit sibi præmia,
Sed est sibi laborum ipsi ipsa præmium.

Et eodem libro: Si quis cum conditione seu per hypothesin sapienti proposuerit, vtrum malit, Dei cognitionem, an salutem æternam: sint autem ea separata, cùm sint omninò eadem: nihil penitùs dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se judicans esse expetendam. Talia possent hic plura laudari, nisi vel hæc nimia viderentur: quæ non alio consilio adduximus, nisi vt iis, quos dissensuros præuidemus, tanti potiùs viri auctoritatem, quàm nostras argumentationes opponeremus. Sed ostendent jam & opponent nobis Dauidis verba: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*: itemque alia, quæ à nobis ipsis in Apologetico, quem pro Bellarmino aduersus Hunnium Hæreticum superioribus annis edidimus, disputantur. Quibus tamen facilè satisfecero, si dicam, separari quidem alterum

terum ab altero non posse, vt quis scilicet Deum diligat, neq; respiciat in ipsam remunerationem, *cùm ipse Deus sit merces nostra magna nimis*: sapientem tamen & perfectum magis in ipsa dilectione acquiescere, ac si fieri queat, vt hæc duo separentur, etiam sine præmio in illa permansurum. Deinde verò si vel maximè retributionem seu præmium spectet, non aliter tamen hoc facit, nisi quia Deum diligit, & propter illam dilectionem nullum non mandatum ejus persequi studet. Est autem inter Dei mandata & jussa, & hoc non postremum, vt propter brauium ac præmium laboremus. Apocalyps. II. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. I. ad Corinth. IX. Debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Nescitis, quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite, vt comprehendatis. Sapiens igitur cùm præmium, tantùm quia Deo sic jubenti parere vult, exspectet, meritò Virtutem seu Dilectionem propter se expetere censetur.

CAP. CXXXVI.

QVod cum ita sit, consequens est, vt *Dilectio siue Virtus sit se ipsa ad felicitatem contenta*, vtque sapiens noster Christianus hoc ipso, quod Virtutem possideat, summè sit beatus. Atque hoc est, quod Abrahamo dicit Dominus: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, &

&merces tua magna nimis. Vnde rectè Tobias: Beati omnes, q diligunt te, &q gaudēt sup pace tua. De qua pace est illud Psaltæ: Pax multa diligētib. legē tuā & non est illis Scandalū. Sic Psal: CV, Beati, qui faciunt justitiam in omni tempore. Et Proverb. XXIX. qui custodit legem, beatus est. Et Christi ipsius: Beati eritis, si feceritis ea. Ac ne quis hæc in viola & rosa tantùm vera putet, disertim nobis à Domino dicitur: Beati pauperes: Beati, qui esuritis: Beati qui fletis: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Rectè igitur de sapiente Clemens Alexandrinus: Si tentatur, inquit, benedicet, vt generosi animi Iob: Si deuoretur à cete, vt Ionas, precabitur, & fides restituet prænunciantem Niniuitis: & si inclusus fuerit cum leonibus, feras mansuefaciet: & si in ignem fuerit injectus, rore recreabitur, non igne exuretur. Et rursùm: Æquum est, inquit, Stoicos quoque admirari, qui dicunt animam nihil affici à corpore, neque ad vitium à morbo, neq; ad virtutē à sanitate: sed hæc vtraq; dicunt esse Indifferentia. Quamquā Iob quoque propter insignem continentiam & fidem eximiam, vt qui pauper quidem ex diuite, ex illustri abjectus, ex pulchro deformis, ex sano morbidus factus sit, est nobis præclarum exemplar propositus, pudore afficiens eum, qui tentauerat, benedicens ei, qui formauerat, secunda ferens, ita vt prima, rectè docens Peripateticos, sapientem rectè vti posse omnib. Idem

lau-

laudatis his Apostoli verbis: *Vsq;* in hanc horã nos Apostoli & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur & benedicimus, persecutionẽ patimur, & sustinemus: *Hæc* de suo adjungit: *Talia* sunt etiam, quę dicit Plato in rep. etiamsi torqueatur justus, etiamsi ei effodiantur oculi, eum futurum esse beatum. Sapiens igitur numquam finem habebit positum in anima siue vita, sed in eo, quòd sit semper felix & beatus, & regius Dei amicus: & licet quis ei inurat ignominiam, eumq; & exsilio & publicatione facultatum, & postremò morte afficiat, numquam auelletur à libertate & præcipua in Deum charitate. *Quis* dubitet hæc esse Stoicis æqualia atq; adeò superiora? nec deerunt, qui ea prsus putent ἀδυνάτα & humanis virib. superiora. Iis enim, qui sunt remissi & imbecilli, ait idem Clemens, id q́ est moderatum, videtur nimis intensum & tonũ superare: & id, q́ æquum est, videtur esse summũ jus. quoscũq; enim ꝑpterea q́ peccati amore tenentur, subit indulgentia, ii veritatẽ existimant esse molestiã, & seueritatẽ sæuitiam, & eum q non simul peccat pariterq; deorsum trahitur, immisericordem. Et luxurioso, ait Seneca, frugalitas pœna est; pigro supplicii loco labor est; delicatus miseretur industrii; desidioso studere torqueri est. Eodem modo hęc, ad q̃ oẽs imbecilli sumꝰ (torqueri scilicet) dura atq; intoleranda credimꝰ, obliti quã

multis tormentnm sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi & enerues. Magno animo de rebus magnis judicandum est: alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima, cùm in aquam demissa sunt, speciem curui præfractiq; visentibus reddunt. Neq; verò negamus, quod sapientissimè Aristo dicere solebat: Ad totum nimirum tetrachordon, Voluptatem & Ægritudinem, Metum & Cupiditatem, exercitatione magna, & pugna, omninoq; viro opus esse, qui admirabiliter & inconfusè iis rebus sit vsurus, à quibus proficiscuntur animi perturbationes, vtpote diuitiis & paupertate, gloria & ignominia, sanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate, cùm præsertim multa imbecillitate priùs malè affecti simus, & in mala educatione & institutione priùs versati cũ ignoratione. Sapienti tamen, quem quærimus, Summi nempe boni jam composito nihil hujusmodi difficile graueq; accidere posse res ipsa loquitur, maximè cùm omnib. sæculis tã multi fuerint, qui nobis in exemplum & testimoniũ (ait Tertull.) tam Spiritu, quã Carne; tã animo, quã corpore, patientiæ perpetrãdę constiterũt: quos nequaquã tamen (vt cũ Clem: poëtę vbis vtar)

Annosa aut quercus genuit, præruptaue petra:

sed eò, quòd sincerè ac germanè vellent Philosophari, ipsi se Deo totos obtulerunt, & in fidei rationem relati sunt.

CAP.

CAPVT CXXXVII.

IAm & hoc Decretum ſequitur, vt *Dilectio* ſiue *Virtus nullius alterius rei acceſſione perfectior ma-gisq́; expetenda reddi poſſit*. nam alioquin & acceſ-ſiones illæ inter Bona numerari, & ad Beatitudi-nem conſtituendam requiri deberent. Atqui docuimus jam ſuprà, præter Virtutem, quæque ab ea proficiſcuntur, nihil eſſe, quod bonum haberi mereatur: nihil etiam præter eamdem expetendum nobis eſſe. Dominus monet a-pud Matthæum: Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes in-quirunt. Quærite ergò primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. *Clarum* ergò eſt, præter Iuſtitiam ſiue Virtutem (quæ ſola bonum eſt, & ſi cum aliis, quæ bona vſurpantur, comparetur, Summum bonum) ni-hil nobis eſſe nec quærendum nec expetendum. Bona enim corporis & fortunæ, quæ vulgus vo-cat, expeti non debent more gentium, ſed ſumi cum gratiarum actione ſeligiq́; poſſunt. Vera e-nim bona ſunt. Non tamen quod non eſt bonũ, ait Clemens noſter, continuò malum eſt: Sunt enim quædam, quę medium locum obtinent, et in Mediis ſiue Indifferentibus ſunt præpoſita & rejecta. Et quod bona quidem non ſint, eorum contraria ſatis docent, quæ mala nemo ſapiens dixerit. Num enim eſurire, ſitire, aliaque ſentire

incommoda, Malum putabimus? At ea Christus ipse nonnumquam Bona esse dicit, in iisq; Beatitudinem collocat. Sunt igitur & ista, & contraria eorum nec bona, nec mala, sed Media, seu Indifferentia, velut ex Stoicorum sententia demonstrauimus. Nobis data lex, ait Clemens idē, ea, quæ verè mala sunt, jubet fugere, adulteriū, petulantiā, puerorum amorē, ignorantiam, injustitiam, morbum, animæ mortē, non eam, q̄ soluit animam à corpore, sed eam, quę animam dissoluit à veritate. Hæc enim sunt grauia & verè timenda vitia, & quæ ex iis proficiscuntur actiones. Quę autem fortunæ dicuntur incommoda, ea viro bono non sunt formidabilia, quoniam non sunt mala. Quæ autem verè sunt grauia, ea sunt à Christiano sapiente aliena, vtpote quæ ex diametro & rectà pugnant cum bonis, quoniam ea sunt mala, nec fieri potest, vt eidem eodem tempore simul insint contraria. *Quid* igitur? inquies. Non beatior fuit Iob, cùm omnibus externis bonis siue commodis abundaret ac floreret, quàm cum liberis suis orbatus ac possessionib. dejectus, in cinere immundā vlceris sui redundantiam testa destringeret, & erūpentes bestiolas inde, in eosdem specus & past⁹ foraminosæ carnis reuocaret? Quid dicā? nisi justior fuit, nisi sanctior, & nisi Deum plus dilexit, cùm postea quæ amiserat reduplicata possedit, neq; beatiorem fuisse certum est: si modò in eo, q̧ supra est positum constare nobis volumus &

beati-

beatitudinem in Dei dilectione collocamus. Vt colossus major non fit, si in edito celsoq; loco, quàm si in puteo statuatur: itē sapiens noster, siue hanc ipsi quasi commodorum basin fortuna subducat, siue ipsum diuitiæ honoresq; in alto fastigio positū excedere extrà faciant, eamdem felicitatis suæ magnitudinem seruabit, hoc est, æquè Deum diliget, & Iobi exemplo ad omnē acerbum nuncium nihil ex ore promet, nisi DEO GRATIAS. Quamuis autem refelli queat, Christum in ea, quam nobis præiuit, orandi formula, *Panem* etiam petere nos docuisse, dubium tamē non est, quin Spiritualis istic panis ὁ ὑπερούσιος intelligi debeat, vt in Apologetico dixi. Sin autē corporalem quis interpretari malit (quamuis hoc parum habeat verisimilitudinis) non tamen tam expetere eum, quàm eligere sapiens censebitur. Finis enim est, qui expetitur: eligimus autem, si quid nobis ad finem, hoc est, vltimum bonorum, commodum fore nouerimus. Sanitas, inquit Clemens, & rerum necessariarum copia, sunt retinenda non propter se, sed propter corpus, habetur autem cura corporis propter animam, ad quam fit relatio. *Atqui* hoc etiam à Stoicis mutuatur Clemens. Sic enim scribit Seneca: Puto inter me teque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli: in animo esse partes ministras, per quas mouemur alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irratio-

nale, est & rationale. Illud huic seruit. Hoc vnum est, quod aliò non refertur, sed omnia ad se perfert.

CAP. CXXXVIII.

PORRO autem priusquam ad alia de sapiente Paradoxa accedamus, quis sapientis nomen mereatur, prius dispiciendum est. Stoici *sapientem* vocant eum, qui finem siue extremum bonorum consecutus est, hoc est, qui secundum Virtutem siue rectam rationem viuit. Nobis igitur Christianis similiter sapiens vocabitur, qui summum bonum possidet, hoc est, dilectione Dei & proximi mandatis diuinis paret. Hanc descriptionem ipse nobis Dominus ostendit his verbis: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluria, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. *De* hoc igitur sapiente varia sunt apud nos Christianos Paradoxa, Stoicis illis similia: quod non mirabitur, qui meminerit Græcos Philosophos, Hebraicæ veritatis fures à Clemente Alexandrino appellari, qui & Stoicos dogmata illa, quibus regnum, sacerdotium, prophetiam, legis ferendæ scientiam, diuitias, pulchritudinem, nobilitatem, libertatem, soli sapienti tribuunt, à magno illo Moyse accepisse credere se testatur. Sit ergò primum Paradoxon

Sapien-

Sapientem carere affectibus seu perturbationibus.

CVius ex Sacris scripturis rationẽ petit Clemẽs Deus stetit in medio deorũ, in medio autẽ deos dijudicat. quosnam? eos, qui sunt voluptate superiores, eos, qui vincũt animi motus & affectus. Et rursus: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Et dicit Apostolus: Vos autem non estis amplius in carne, sed in spiritu. Et in quarto Stromatum: Deum, inquit, oportet imitari, quoad eius fieri potest ab eo, qui est sapiens, ac videntur mihi Poëtę quoque electos seu sapientes appellare θεοειδέας, deiformes, & δίους diuôs, & ἀντιθέυς Deo æquales, & θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντας, quorũ similis prudentia Diuis, circumrodentes illud in sacris literis: ad imaginem & similitudinem Et libro secundo: Plato, inquit, finem ponens beatitudinis dicit eam esse ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, *Deo assimilationem, quoad eius fieri potest*, siue cum legis decreto quodammodo concurrens: magnæ enim naturæ & liberæ ab animi perturbationibus, nescio quomodo feruntur ad scopum veritatis, vt dicit Philo Pythagoræus Moysis res gestas describens, siue etiam doctus ab aliquibus, quæ tunc erant, diuinis eloquijs, vt qui doctrinæ siti semper teneretur. Dicit enim lex: *Post Dominum vestrum ambulate, & mandata mea seruate.* Assimilationem enim lex nominat consectationẽ,

Talis autem consectatio, quoad eius fieri potest, assimilat. *Maximè* autem insignis hac de re locus est in sexto eiusdem, vbi nugatorium & friuolum esse ait, iram, confidentiam & cupiditatem, tamquam ad res gerendas non inutiles in sapiente relinquere, adeò denique Peripateticorum μετριοπάθειαν, seu moderationem affectuum impugnat, vt ne *Cautioni* quidem, quam Stoici probant, in sapientis animo locum relinquat. Ac de *Metu* quidem, q̃ is in sapientē non cadat, facilè ex definitione ei⁹ intelligit̃. Rationē porrò reddit S. Ioannes: In hoc pfecta est charitas Dei nobiscū, vt fiduciā habeam⁹ in die iudicij. Timor nō est in charitate, sed pfecta charitas foras mittit timorē, quoniā Timor pœnā habet: q aũt timet, nō est pfectus in charitate. *Quod* autem Timor Dei toties in sacris literis commendatur, id quàm nihil contra Decretum hoc nostrū faciat, idem Clemēs quasi principio secundi Stromatum, & paullò post capite quarto, Diuus item Thomas pluribus summæ suæ locis, multi deniq; ex recentioribus Theologis, si consulantur, docebunt: nobis enim omnia hic subtilius persequi nō licet. Hoc interim satis sit, quod Clemens monet, aut Cautionem Timoris vocabulo accipiendam, aut definitionem illam timoris Stoicā prorsus hic antiquandam esse: qua tamen re fortasse non opus fuerit, si Timorem Domini initium sapientiæ appellari meminerimus: nos autem de perfectè sapiente loquimur. In eo Timor non est, nisi Timorem voces Cautionem illam Deum per pecca-

ta ali-

ta alienandi aut offendendi. Quod autem neque *Ira* in ſapientem cadat, nihil attinet operoſè probare. Omnem hujuſmodi motum vna hæc Chriſti oratio ſuccidit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vos, & qui te percutit in maxillam, ei præbe & alteram. *Triſtitia* etiam vacare ſapientem debere illa Apoſtoli cohortatio aduincit: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Et hoc eiuſdem quaſi Decretum: Non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Et hoc Salomonis: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Et ratio etiam eſt euidens. Ferè enim ex his triſtitia ſequitur, ſi aut non ſucceſſit, aut ſucceſſus pudet: quorum in ſapiente neutrũ cogitari poteſt. Nam vt pudeat eum, qui ſit ſapiens, ne intelligi quidem datur, cùm ignominiæ metus ſit pudor, ignominiam verò, quæ vulgo videtur, etiam inter beatitudines Chriſtus referat. Sed neque quicquam eſt, quod non ſuccedat ſapienti, ſiue, quod contra opinionem ipſi accidat. Non illum quidem caſibus hominum excipimus, ſed erroribus: nec illi omnia, vt voluit, cedunt, ſed vt cogitauit. In primis autem cogitauit, aliquid poſſe propoſitis ſuis reſiſtere. Neceſſe eſt autem leuiùs ad animum peruenire deſtitutæ cupiditatis dolorẽ, cui ſucceſſum nõ vtiq; promiſeris. Quod autem *Voluptate* ſapiens vacare debeat, pulchrè diſputat Clemens in ſecundo Stromatum, vbi inter cetera & hæc habet:

Non

Non est omnium necessaria affectio voluptatis: sed accessio quædam & assectatio vsibus quibusdam naturalibus, fami, siti, frigori, matrimonio. Si itaque fieri posset, vt absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius eius vsus. neq; enim actio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est Voluptas, sed vicarij ministerij & subsidij gratia in vitam accessit, quemadmodum dicunt accessisse salem nutrimenti concoquendi caussa. Quæ est autem effrenata, & domus administrationem vi sibi vsurpauit, primam generat cupiditatem, quæ est desiderium & appetitus à ratione alienus, eius qui ipsi indulget. *Sed* hanc ipsam Stoicorum fuisse sententiam ex Laertio in vita Zenonis, vbi de Appetitione loquitur, videre licet. Omnino nullum ex omnibus affectibus, vt dixi, in sapientem cadere Clemens contendit, vt prorsus illud eueniat, quod Psaltes dicit: *In æternum nõ commouebitur iustus.* Misericordiam tamen in ipso tolerat, sed eam nullo genere Affectum seu perturbationem esse concedit, quod *Affectus*, vt ipse definit, sit nimis abundans animi impetus & incitatio, vel, quæ plus quam par sit, transeat superetque mensuras rationis, vel, impetus & incitatio, quæ non pareat rationi. *Misericordia* autem non est ægritudo (ait idem) propter alienas miserias, sed est potius aliquid diuinum, vt dicunt Prophetæ: *Misericordiam* inquit, *volo & non sacrificium.* Quod si autem instes ei, & Misericordiam, animi perturbati-

bationem & declinationem à ratione esse pertendas, sic tibi ab eodem respondebitur: Quid tu dicis? & quomodo tibi deinceps seruari poterit hæc definitio, cùm præceptum miserendi mihi per Rationem datum sit? *Ego* tamen, vt quod res est dicam, Clementem falli, neque *Misericordiam*, sed actiones illas, quæ ab alijs ex misericordia suscipiuntur, & à Theologis *Misericordiæ opera* vocantur, à Deo nobis commendari existimo: cùm in scripturis solemne hoc spiritui sancto esse videamus, vt vocibus plerisque perinde vt homines vulgò solent vtatur, eaq; in re captus nostri rationem habeat. sic ergò Beatos dicit Misericordes, non qui ipsi se ob miserias aliorum animi angunt & affli-ctantur, sed qui opere ipso calamitates eorum subleuare properant: vocantque hanc eiuscemodi actionem Stoici *officium* seu *Beneficentiam* à recta ratione profectam (quæ jubet hominem homini opem ferre) non autem ab aliqua ægritudine & contractione animi, quam alienarum miseriarũ respectus in nobis excitauerit. Sic igitur maxima de vocabulis tantùm lis est. nam rem ipsam Peripatetici, quos hodie & Theologi illum sacrarum literarum ad humanam rationẽ accommodatum loquendi morem secuti imitantur, humanius, vt apparet, sed Stoici verius exprimunt: si quidem Christus, cum præcepisset nobis? *Estote misericordes*: ne de commotione illa animi potiùs, quàm de actiõe benefaciendi locutus videretur, statim subiecit: *Sicut & pater vester misericors est*. Et hæc de primo Paradoxo: videamus nunc de ceteris.

CAP. CXXXIX.

Sapientem esse liberum.

CLEMENS in secundo Stromatum dum probare nititur, multa in Platone legi, quæ cum sacris literis conueniant, inter cetera hoc etiam ex Alcibiade laudat: rem quidem seruilem esse vitium, Virtutem verò rem liberalem: cui postea cōponit hoc ex scripturis: *Tollite* à vobis jugum graue & sumite leue. Et hoc: Ego carnalis sum, venum datus sub peccato. Et istud: Omnis qui peccatum facit, seruus est: qui est autem seruus, non manet in domo in æternum. Si autem filius vos liberauerit liberi eritis, & Veritas liberabit vos. Et eodem libro inferius: Succumbere, inquit, & cedere vitijs ac perturbationibus animi, est extrema seruitus: sicut certè ea vincere, sola est libertas.

Sapientem esse ciuem.

IDEM Clemens in quarto Stromatum: Ego, inquit, Christi spiritum orauerim, vt me in meam sustollat Hierusalem. Dicunt enim Stoici quoque, cælum quidem propriè esse ciuitatem: quæ autem sunt hic in terra, non vtiq; ciuitates. Dici enim, sed nō esse. Res enim bona est ciuitas, & populus honestus aliquis cætus, & multitudo hominum, quæ regitur lege, sicut verbo Ecclesia, ciuitas quæ non potest circumsideri, nec opprimi tyrannide. In terra diuina voluntas, in terra sicut in cælo. Huius

autem

autem ciuitatis imagines poëtæ quoque condunt, scribentes: Hyperboreæ enim & Arimaspiæ ciuitates,& campi Elysij, sunt reipub.& ciuitatis iustorum instituta. Scimus autem Platonis quoque rempub.esse positam in cælo,vt exemplar. Confirmat autem hæc Apostolus: Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei. Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis,Hierusalem cælestem, & multorum millium frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.

Sapientem esse pulchrum.

IDē Clemens in quinto: Hæc, inquit, dogmata vulgò jactāt Stoici,&ante eos in Phædro precās Socrates: O Pan,& dij alij, date mihi,vt intus sim pulcher & honest⁹. *In* Theæteto autē apertè dicit: Qui.n pulchrè dicit,& honestè, is est pulcher bonusq; & honest⁹. Et in Protagora fatet Protagoræ familiarib⁹,se eū cōuenisse, q esset pulchrior Alcibiade: si quidem est pulcherrimum id, q est sapientissimum. Dicebat enim Virtutem esse animæ pulchritudinem: cōtra autem Vitium,animæ turpitudinem. Libro etiam secundo ista habet: Pulchrum esse sapientem,sic dicit apud Platonem hospes Atheniensis: Quod si quis affirmet iustos, & si sint deformes corpore, quatenus quidem sunt mores iusti, ea ratione esse pulchros, propemodū nullus sic dicens videri possit malè dicere. Cū his autem locis confert Clemens illud ex scripturis: Speciosus forma præ filijs hominum. Sapi-

Sapientem esse Diuitem.

IS ipse Clemens in secundo Stromatum cùm dixisset, videri Stoicos Paradoxa sua ab Hebræis mutuatos, hæc subjungit: Age verò ostendamus Platonem quoque ijsdem suffragari dogmatibus. Sapientem quidem in Phædro dixit esse diuitem, dicens: O Pan, & quicumque alij Dij hic adestis, date mihi vt sim pulcher in ijs, quæ sunt intrinsecus; extrinsec⁹ aũt quæcũq; habeo, sint mihi amica ijs, q̃ sunt intrisec⁹: sapienté verò diuité existimem. Hospes aũt Atheniẽsiseos reprehẽdens, qui existimabant illos esse diuites, qui multas possident pecunias, sic dicit: Vt autem valdè sint diuites & boni, nequit fieri: ij quidem, quos vulgus diuites numerat. Dicit autem eos, qui in paucis hominũ maximi pretij possessiones possident, quas etiam malus aliquis possidet. Fidelis est totus mundus pecuniarum, ait Salomon: Infidelis autem, ne obolus quidem. Multò ergò magis Scripturæ credendũ est, quæ dicit fore, vt citius camelus per foramen acus transeat, quàm vt diues philosophetur. Contrà autem pauperes Plato beatos censet, vt intellexit, dicens: Non est enim Paupertas, pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas: quæ si recesserit, qui bonus est, diues quoque fuerit. Et postea eodem libro: Quod omnia sint sapientis, apertè indicat Abraham dicens: quoniam Deus mei misertus est, mihi sunt omnia. Idem libro sexto: Vera quidem opulentia, est abundantia in ijs, quę sunt ex virtute actionibus. Paupertas autem est inopia in moderatis

deratis actionibus, possessiones enim & vsus rerum necessariarum non habent qualitatem noxiam, sed eam, quę est pręter modum, quantitatem, quocirca circumscribit sapiēs cupiditates, & in possessione, & in vsu non transiliens terminum eorum, quæ sunt necessaria.

Sapientem esse sacerdotem, & Regem.

IN Apocalypsi S. Ioannes legimus: Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnū & sacerdotes Deo, & patri suo. Et rursum: Fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Clemens noster Platonem quoque in Politia hoc Decretum habere affirmat, idque in sapientem Christianum sic accommodat: Iam qui in Christum crediderunt, Christi, id est, vncti & sunt & dicuntur, sicut ij, qui sunt reuera Regales, Regi curæ sunt, sicut enim sapientes sunt sapientia sapientes, & q sunt iusti iustitia sunt iusti, ita etiā sunt à Christo rege Reges, & qui à Christo, sunt Christiani.

CAP. CXL.

SIc igitur planum me fecisse arbitror, *Dogmaticam* Stoicę Philosophiæ partem multipropius, quam vel Epicuri; vel Peripateticorū rationem, ad integritatem & veritatem Christianæ fidei accedere, vt ita scholarū nostrarū præ-

ceptores de tradenda illa & publicè docendā minimè dubitare debeant. Nunc tempus est, vt ad alteram Philosophiæ illius, quæ mores ordinandos suscipit, partē accedamus. Eam diximꝰ esse *Paraneticam*, hoc est, quę pręcepta ad singulas vitæ partes pertinentia cōplectitur. Illorum p̄ceptorum pars medicinam nimiæ appetitioni siue affectibus morbisque animi facere docet, pars officia & actus humanos disponit. Primū igitur videamꝰ, quāta sint, q̄ à Philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quædam medicina certè, nec tam fuit hominum generi infensa atq; inimica natura, vt corporibꝰ tot res salutares, animis nullā inuenerit: de quibus est hoc etiā merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Vt igitur via & ordine oratio nostra procedat, de remediis animi, quibus, quando & qualia adhiberi debeant, consideremus. Vt enim in causis Oratores non semper vtuntur eodem statu, sed ad tempus, ad controuersiæ naturam, ad personam accommodare solent: sic in morbis animi leniendis quam quisque curationem recipere possit, videndum est. Nam in perfectum siue sapientem nullam istarū perturbationum cadere, adeoq; curationem eius superuacuam esse, ex iis, quæ adhuc diximꝰ, apparet. Proficientium verò & ad perfectionem tendentium non vnum est genus: in tres enim classes diuiduntur. *Primi* sunt, qui sapientiam

non-

nondum habent, sed ei alludunt, & iam in vicinia eius constiterunt (sed tamen etiam quod ꝓpè est, extra est) siue, qui nondum in sicco, sed iã in portu sunt, hoc est, qui effugerunt morbos & ægrotationes animi, affectus nondum; & adhuc in lubrico stant, quia nemo est extra periculum malitiæ, nisi qui totam eam excussit: nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiã assumpsit. *Secundum* genus est eorum, qui maxima animi mala deposuerunt, sed ita, vt non sit illis securitatis suę certa possessio: possunt enim, & solent nonnunquam in eadé relabi. *Tertium* illud genus extra multa & magna vitia est, sed nõ extra omnia. Effugit auaritiam, sed irã adhuc sentit: iam non solicitatur libidine, sed habet etiam vnum ambitionẽ: iam non concupiscit, sed adhuc timet: & in ipso metu ad q̃dam satis firm' est, quibusdam cedit: mortem contemnit, doloré reformidat. Hæc igitur intueri oportet eum, qui curationem velit suscipere. Non parum etiam refert, quæ quando ægrotis maleque affectis animis adhibeantur. Ad recentes enim quasi tumores admoueri remedia Prometheus apud Æschylum & Chrysippus vetant. Primam iram inq̃t Seneca, non audebim' oratione mulcere, surda est & amens: dabim' illi spatiũ: remedia in remissionibus prosunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cętera vitia, dum feruent. Veruntamen idẽ Seneca Consolatione ad Marciã de rapto filio lugenté

multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi & enerues. Magno animo de rebus magnis judicandum est: alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima, cùm in aquam demissa sunt, speciem curui præfractiq; visentibus reddunt. Neq; verò negamus, quod sapientissimè Aristo dicere solebat: Ad totum nimirum tetrachordon, Voluptatem & Ægritudinem, Metum & Cupiditatem, exercitatione magna, & pugna, omninoq; viro opus esse, qui admirabiliter & inconfusè iis rebus sit vsurus, à quibus proficiscuntur animi perturbationes, vtpote diuitiis & paupertate, gloria & ignominia, sanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate, cùm præsertim multa imbecillitate priùs malè affecti simus, & in mala educatione & institutione priùs versati cũ ignoratione. Sapienti tamen, quem quærimus, Summi nempe boni jam composito nihil hujus modi difficile graueq; accidere posse res ipsa loquitur, maximè cùm omnib. sæculis tã multi fuerint, qui nobis in exemplum & testimoniũ (ait Tertull.) tam Spiritu, quã Carne; tã animo, quã corpore, patientiæ perpetrãdę constiterũt: quos nequaquã tamen (vt cũ Clem: poëtę vbis vtar)

Annosa aut quercus genuit, præruptaue petra:

sed eò, quòd sincerè ac germanè vellent Philosophari, ipsi se Deo totos obtulerunt, & in fidei rationem relati sunt.

CAPVT CXXXVII.

IAm & hoc Decretum sequitur, vt *Dilectio* siue *Virtus nullius alterius rei accessione perfectior magisq́; expetenda reddi possit*. nam alioquin & accessiones illæ inter Bona numerari, & ad Beatitudinem constituendam requiri deberent. Atqui docuimus jam suprà, præter Virtutem, quæque ab ea proficiscuntur, nihil esse, quod bonum haberi mereatur: nihil etiam præter eamdem expetendum nobis esse. Dominus monet apud Matthæum: Nolite soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite ergò primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. *Clarum* ergò est, præter Iustitiam siue Virtutem (quæ sola bonum est, & si cum aliis, quæ bona vsurpantur, comparetur, Summum bonum) nihil nobis esse nec quærendum nec expetendum. Bona enim corporis & fortunæ, quæ vulgus vocat, expeti non debent more gentium, sed sumi cum gratiarum actione seligiq́; possunt. Vera enim bona sunt. Non tamen quod non est bonũ, ait Clemens noster, continuò malum est: Sunt enim quædam, quę medium locum obtinent, et in Mediis siue Indifferentibus sunt præposita & rejecta. Et quod bona quidem non sint, eorum contraria satis docent, quæ mala nemo sapiens dixerit. Num enim esurire, sitire, aliaque sentire

incommoda, Malum putabimus? At ea Christus ipse nonnumquam Bona esse dicit, in iisq; Beatitudinem collocat. Sunt igitur & ista, & contraria eorum nec bona, nec mala, sed Media, seu Indifferentia, velut ex Stoicorum sententia demonstrauimus. Nobis data lex, ait Clemens idẽ, ea, quæ verè mala sunt, jubet fugere, adulteriũ, petulantiã, puerorum amorẽ, ignorantiam, injustitiam, morbum, animæ mortẽ, non eam, q̃ soluit animam à corpore, sed eam, quę animam dissoluit à veritate. Hæc enim sunt grauia & verè timenda vitia, & quæ ex iis proficiscuntur actiones. Quę autem fortunæ dicuntur incommoda, ea viro bono non sunt formidabilia, quoniam non sunt mala. Quæ autem verè sunt grauia, ea sunt à Christiano sapiente aliena, vtpote quæ ex diametro & rectà pugnant cum bonis, quoniam ea sunt mala, nec fieri potest, vt eidem, eodem tempore simul insint contraria. *Quid* igitur? inquies. Non beatior fuit Iob, cùm omnibus externis bonis siue commodis abundaret ac floreret, quàm cum liberis suis orbatus ac possessionib. dejectus, in cinere immundã vlceris sui redundantiam testa destringeret, & erũpentes bestiolas inde, in eosdem specus & past⁹ foraminosæ carnis reuocaret? Quid dicã? nisi justior fuit, nisi sanctior, & nisi Deum plus dilexit, cùm postea quæ amiserat reduplicata possedit, neq; beatiorem fuisse certum est: si modò in eo, q. supra est positum constare nobis volumus &

beati-

beatitudinem in Dei dilectione collocamus. Vt colossus major non fit, si in edito celsoq; loco, quàm si in puteo statuatur: itẽ sapiens noster, siue hanc ipsi quasi commodorum basin fortuna subducat, siue ipsum diuitiæ honoresq; in alto fastigio positũ excedere extrà faciant, eamdem felicitatis suæ magnitudinem seruabit, hoc est, æquè Deum diliget, & Iobi exemplo ad omnẽ acerbum nuncium nihil ex ore promet, nisi DEO GRATIAS. Quamuis autem refelli queat, Christum in ea, quam nobis præiuit, orandi formula, *Panem* etiam petere nos docuisse, dubium tamẽ non est, quin Spiritualis istic panis ὁ ὑπερούσιος intelligi debeat, vt in Apologetico dixi. Sin autẽ corporalem quis interpretari malit (quamuis hoc parum habeat verisimilitudinis) non tamen tam expetere eum, quàm eligere sapiens censebitur. Finis enim est, qui expetitur: eligimus autem, si quid nobis ad finem, hoc est, vltimum bonorum, commodum fore nouerimus. Sanitas, inquit Clemens, & rerum necessariarum copia, sunt retinenda non propter se, sed propter corpus, habetur autem cura corporis propter animam, ad quam fit relatio. *Atqui* hoc etiam à Stoicis mutuatur Clemens. Sic enim scribit Seneca: Puto inter me teque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli: in animo esse partes ministras, per quas mouemur alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irratio-

nale,est & rationale. Illud huic seruit. Hoc vnum est, quod aliò non refertur, sed omnia ad se perfert.

CAP. CXXXVIII.

PORRO autem priusquam ad alia de sapiente Paradoxa accedamus, quis sapientis nomen mereatur, prius dispiciendum est. Stoici *sapientem* vocant eum, qui finem siue extremum bonorum consecutus est, hoc est, qui secundum Virtutem siue rectam rationem viuit. Nobis igitur Christianis similiter sapiens vocabitur, qui summum bonum possidet, hoc est, dilectione Dei & proximi mandatis diuinis paret. Hanc descriptionem ipse nobis Dominus ostendit his verbis: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluria, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. *De* hoc igitur sapiente varia sunt apud nos Christianos Paradoxa, Stoicis illis similia: quod non mirabitur, qui meminerit Græcos Philosophos, Hebraicæ veritatis fures à Clemente Alexandrino appellari, qui & Stoicos dogmata illa, quibus regnum, sacerdotium, prophetiam, legis ferendæ scientiam, diuitias, pulchritudinem, nobilitatem, libertatem, soli sapienti tribuunt, à magno illo Moyse accepisse credere se testatur. Sit ergò primum Paradoxon

Sapien-

Sapientem carere affectibus seu perturbationibus.

CVius ex Sacris scripturis rationẽ petit Clemẽs Deus stetit in medio deorũ, in medio autẽ deos dijudicat. quosnam? eos, qui sunt voluptate superiores, eos, qui vincũt animi motus & affectus. Et rursus: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Et dicit Apostolus: Vos autem non estis amplius in carne, sed in spiritu. Et in quarto Stromatum: Deum, inquit, oportet imitari, quoad eius fieri potest ab eo, qui est sapiens, ac videntur mihi Poëtę quoque electos seu sapientes appellare θεοειδέας, deiformes, & δίους diuòs, & ἀντιθέους Deo æquales, & θεοῖς ἐναλίγκια μήδεα ἔχοντας, quorũ similis prudentia Diuis, circumrodentes illud in sacris literis: ad imaginem & similitudinem Et libro secundo: Plato, inquit, finem ponens beatitudinis dicit eam esse ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, *Deo assimilationem, quoad eius fieri potest*, siue cum legis decreto quodammodo concurrens: magnæ enim naturæ & liberæ ab animi perturbationibus, nescio quomodo feruntur ad scopum veritatis, vt dicit Philo Pythagoræus Moysis res gestas describens, siue etiam doctus ab aliquibus, quæ tunc erant, diuinis eloquijs, vt qui doctrinæ siti semper teneretur. Dicit enim lex: *Post Dominum vestrum ambulate, & mandata mea seruate.* Assimilationem enim lex nominat consectationẽ,

ta alienandi aut offendendi. Quod autem neque *Ira* in ſapientem cadat, nihil attinet operoſè probare. Omnem hujuſmodi motum vna hæc Chriſti oratio ſuccidit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vos, & qui te percutit in maxillam, ei præbe & alteram. *Triſtitia* etiam vacare ſapientem debere illa Apoſtoli cohortatio aduincit: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Et hoc eiuſdem quaſi Decretum: Non eſt regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Et hoc Salomonis: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Et ratio etiam eſt euidens. Ferè enim ex his triſtitia ſequitur, ſi aut non ſucceſſit, aut ſucceſſus pudet; quorum in ſapiente neutrũ cogitari poteſt. Nam vt pudeat eum, qui ſit ſapiens, ne intelligi quidem datur, cùm ignominiæ metus ſit pudor, ignominiam verò, quæ vulgo videtur, etiam inter beatitudines Chriſtus referat. Sed neque quicquam eſt, quod non ſuccedat ſapienti, ſiue, quod contra opinionem ipſi accidat. Non illum quidem caſibus hominum excipimus, ſed erroribus: nec illi omnia, vt voluit, cedunt, ſed vt cogitauit. In primis autem cogitauit, aliquid poſſe propoſitis ſuis reſiſtere. Neceſſe eſt autem leuiùs ad animum peruenire deſtitutæ cupiditatis dolorẽ, cui ſucceſſum nõ vtiq; promiſeris. Quod autem *Voluptate* ſapiens vacare debeat, pulchrè diſputat Clemens in ſecundo Stromatum, vbi inter cetera & hæc habet:

Non

Non est omnium necessaria affectio voluptatis: sed accessio quædam & assectatio vsibus quibusdam naturalibus, fami, siti, frigori, matrimonio. Si itaque fieri posset, vt absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius eius vsus. neq; enim actio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est Voluptas, sed vicarij ministerij & subsidij gratia in vitam accessit, quemadmodum dicunt accessisse salem nutrimenti concoquendi caussa. Quæ est autem effrenata, & domus administrationem vi sibi vsurpauit, primam generat cupiditatem, quæ est desiderium & appetitus à ratione alienus, eius qui ipsi indulget. *Sed* hanc ipsam Stoicorum fuisse sententiam ex Laërtio in vita Zenonis, vbi de Appetitione loquitur, videre licet. Omnino nullum ex omnibus affectibus, vt dixi, in sapientem cadere Clemens contendit, vt prorsus illud eueniat, quod Psaltes dicit: *In æternum nō commouebitur iustus.* Misericordiam tamen in ipso tolerat, sed eam nullo genere Affectum seu perturbationem esse concedit, quod *Affectus*, vt ipse definit, sit nimis abundans animi impetus & incitatio, vel, quæ plus quam par sit, transeat superetque mensuras rationis, vel, impetus & incitatio, quæ non pareat rationi. *Misericordia* autem non est ægritudo (ait idem) propter alienas miserias, sed est potius aliquid diuinum, vt dicunt Prophetæ: *Misericordiam* inquit, *volo & non sacrificium.* Quod si autem instes ei, & Misericordiam, animi pertur-
bati-

bationem & declinationem à ratione esse pertendas, sic tibi ab eodem respondebitur: Quid tu dicis? & quomodo tibi deinceps seruari poterit hæc definitio, cùm præceptum miserendi mihi per Rationem datum sit? *Ego* tamen, vt quod res est dicam, Clementem falli, neque *Misericordiam*, sed actiones illas, quæ ab alijs ex misericordia suscipiuntur, & à Theologis *Misericordiæ opera* vocantur, à Deo nobis commendari existimo: cùm in scripturis solemne hoc spiritui sancto esse videamus, vt vocibus plerisque perinde vt homines vulgò solent vtatur, eaq; in re captus nostri rationem habeat. sic ergò Beatos dicit Misericordes, non qui ipsi se ob miserias aliorum animi angunt & affliguntur, sed qui opere ipso calamitates eorum subleuare properant: vocantque hanc eiuscemodi actionem Stoici *officium* seu *Beneficentiam* à recta ratione profectam (quæ jubet hominem homini opem ferre) non autem ab aliqua ægritudine & contractione animi, quam alienarum miseriarũ respectus in nobis excitauerit. Sic igitur maxima de vocabulis tantùm lis est. nam rem ipsam Peripatetici, quos hodie & Theologi illum sacrarum literarum ad humanam rationẽ accommodatum loquendi morem secuti imitantur, humanius, vt apparet, sed Stoici verius exprimunt: si quidem Christus, cum præcepisset nobis? *Estote misericordes*: ne de commotione illa animi potiùs, quàm de actiõe benefaciendi locutus videretur, statim subiecit: *Sicut & pater vester misericors est.* Et hæc de primo Paradoxo: videamus nunc de ceteris.

autem ciuitatis imagines poëtæ quoque condunt, ſcribentes: Hyperboreæ enim & Arimaſpiæ ciuitates,& campi Elyſij, ſunt reipub.& ciuitatis iuſtorum inſtituta. Scimus autem Platonis quoque rempub. eſſe poſitam in cælo,vt exemplar. Confirmat autem hæc Apoſtolus: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis,Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis.

Sapientem eſſe pulchrum.

IDē Clemens in quincto: Hæc, inquit, dogmata vulgò iactāt Stoici,&ante eos in Phædro precās Socrates: O Pan,& dij alij, date mihi, vt intus ſim pulcher & honeſt⁹. *In* Theæteto autē apertè dicit: Qui.n pulchrè dicit,& honeſtè, is eſt pulcher bonuſq; & honeſt⁹. Et in Protagora fatet Protagoræ familiarib⁹,ſe eū cōueniſſe, q eſſet pulchrior Alcibiade: ſi quidem eſt pulcherrimum id, q eſt ſapientiſſimum. Dicebat enim Virtutem eſſe animæ pulchritudinem: cōtra autem Vitium,animæ turpitudinem. Libro etiam ſecundo iſta habet: Pulchrum eſſe ſapientem, ſic dicit apud Platonem hoſpes Athenienſis: Quod ſi quis affirmet iuſtos, & ſi ſint deformes corpore, quatenus quidem ſunt mores iuſti, ea ratione eſſe pulchros, propemodū nullus ſic dicens videri poſſit malè dicere. Cū his autem locis confert Clemens illud ex ſcripturis: Speciosus forma præ filijs hominum. Sapi-

Sapientem esse Diuitem.

Is ipse Clemens in secundo Stromatum cùm dixisset, videri Stoicos Paradoxa sua ab Hebræis mutuatos, hæc subjungit: Age verò ostendamus Platonem quoque ijsdem suffragari dogmatibus. Sapientem quidem in Phædro dixit esse diuitem, dicens: O Pan, & quicumque alij Dij hic adestis, date mihi vt sim pulcher in ijs, quæ sunt intrinsecus; extrinsecus aũt quæcũq; habeo, sint mihi amica ijs, q̃ sunt intrisecus: sapienté verò diuité existimem. Hospes aũt Atheniẽsiseos reprehẽdens, qui existimabant illos esse diuites, qui multas possident pecunias, sic dicit: Vt autem valdè sint diuites & boni, nequit fieri: ij quidem, quos vulgus diuites numerat. Dicit autem eos, qui in paucis hominũ maximi pretij possessiones possident, quas etiam malus aliquis possidet. Fidelis est totus mundus pecuniarum, ait Salomon: Infidelis autem, ne obolus quidem. Multò ergò magis Scripturæ credendũ est, quæ dicit fore, vt citius camelus per foramen acus transeat, quàm vt diues philosophetur. Contrà autem pauperes Plato beatos censet, vt intellexit, dicens: Non est enim Paupertas, pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas: quæ si recesserit, qui bonus est, diues quoque fuerit. Et postea eodem libro: Quod omnia sint sapientis, apertè indicat Abraham dicens: quoniam Deus mei misertus est, mihi sunt omnia. Idem libro sexto: Vera quidem opulentia, est abundantia in ijs, quę sunt ex virtute actionibus. Paupertas autem est inopia in moderatis

deratis actionibus, possessiones enim & vsus rerum necessariarum non habent qualitatem noxiam, sed eam, quę est præter modum, quantitatem, quocirca circumscribit sapiēs cupiditates, & in possessione, & in vsu non transiliens terminum eorum, quæ sunt necessaria.

Sapientem esse sacerdotem, & Regem.

IN Apocalypsi S. Ioannes legimus: Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnū & sacerdotes Deo, & patri suo. Et rursum: Fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Clemens noster Platonem quoque in Politia hoc Decretum habere affirmat, idque in sapientem Christianum sic accommodat: Iam qui in Christum crediderunt, Christi, id est, vncti & sunt & dicuntur, sicut ij, qui sunt reuera Regales, Regi curæ sunt, sicut enim sapientes sunt sapientia sapientes, & q sunt iusti iustitia sunt iusti, ita etiā sunt à Christo rege Reges, & qui à Christo, sunt Christiani.

CAP. CXL.

SIc igitur planum me fecisse arbitror, *Dogmaticam* Stoicę Philosophiæ partem multi propius, quam vel Epicuri; vel Peripateticorū rationem, ad integritatem & veritatem Christianæ fidei accedere, vt ita scholarū nostrarū præ-

ceptores de tradenda illa & publicè docendà minimè dubitare debeant. Nunc tempus est, vt ad alteram Philosophiæ illius, quæ mores ordinandos suscipit, partẽ accedamus. Eam dixim⁹ esse *Paraneticam*, hoc est, quę pręcepta ad singulas vitæ partes pertinentia cõplectitur. Illorum pceptorum pars medicinam nimiæ appetitioni siue affectibus morbisque animi facere docet, pars officia & actus humanos disponit. Primũ igitur videam⁹, quãta sint, q̃ à Philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quædam medicina certè, nec tam fuit hominum generi infensa atq; inimica natura, vt corporib⁹ tot res salutares, animis nullã inuenerit: de quibus est hoc etiã merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Vt igitur via & ordine oratio nostra procedat, de remediis animi, quibus, quando & qualia adhiberi debeant, consideremus. Vt enim in causis Oratores non semper vtuntur eodem statu, sed ad tempus, ad controuersiæ naturam, ad personam accommodare solent: sic in morbis animi leniendis quam quisque curationem recipere possit, videndum est. Nam in perfectum siue sapientem nullam istarũ perturbationum cadere, adeoq; curationem eius superuacuam esse, ex iis, quæ adhuc dixim⁹, apparet. Proficientium verò & ad perfectionem tendentium non vnum est genus: in tres enim classes diuiduntur. *Primi* sunt, qui sapientiam non-

nondum habent, sed ei alludunt, & iam in vicinia eius constiterunt (sed tamen etiam quod ꝑpè est, extra est) siue, qui nondum in sicco, sed iã in portu sunt, hoc est, qui effugerunt morbos & ægrotationes animi, affectus nondum; & adhuc in lubrico stant, quia nemo est extra periculum malitiæ, nisi qui totam eam excussit: nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiã assumpsit. *Secundum* genus est eorum, qui maxima animi mala deposuerunt, sed ita, vt non sit illis securitatis suę certa possessio: possunt enim, & solent nonnunquam in eadẽ relabi. *Tertium* illud genus extra multa & magna vitia est, sed nõ extra omnia. Effugit auaritiam, sed irã adhuc sentit: iam non solicitatur libidine, sed habet etiam vnum ambitionẽ: iam non concupiscit, sed adhuc timet: & in ipso metu ad q̃dam satis firm⁹ est, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorẽ reformidat. Hæc igtur intueri oportet eum, qui curationem velit suscipere. Non parum etiam refert, quæ quando ægrotis maleque affectis animis adhibeantur. Ad recentes enim quasi tumores admoueri remedia Prometheus apud Æschylum & Chrysippus vetant. Primam iram inq̃t Seneca, non audebim⁹ oratione mulcere, surda est & amens: dabim⁹ illi spatiũ: remedia in remissionibus prosunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cętera vitia, dum feruent. Veruntamen idẽ Seneca Consolatione ad Marciã de rapto filio lugentẽ

multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi & eneru es. Magno animo de rebus magnis judicandum est: alioqui videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima, cùm in aquam demissa sunt, speciem curui præfractiq; visentibus reddunt. Neq; verò negamus, quod sapientissimè Aristo dicere solebat: Ad totum nimirum tetrachordon, Voluptatem & Ægritudinem, Metum & Cupiditatem, exercitatione magna, & pugna, omninoq; viro opus esse, qui admirabiliter & inconfusè iis rebus sit vsurus, à quibus proficiscuntur animi perturbationes, vtpote diuitiis & paupertate, gloria & ignominia, sanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate, cùm præsertim multa imbecillitate priùs malè affecti simus, & in mala educatione & institutione priùs versati cũ ignoratione. Sapienti tamen, quem quærimus, Summi nempe boni jam composito nihil hujusmodi difficile graueq; accidere posse res ipsa loquitur, maximè cùm omnib. sæculis tã multi fuerint, qui nobis in exemplum & testimoniũ (ait Tertull.) tam Spiritu, quã Carne; tã animo, quã corpore, patientiæ perpetrãdę constiterũt: quos nequaquã tamen (vt cũ Clem: poëtę vbis vtar)

Annosa aut quercus genuit, præruptaue petra:

sed eò, quòd sincerè ac germanè vellent Philosophari, ipsi se Deo totos obtulerunt, & in fidei rationem relati sunt.

CAPVT CXXXVII.

IAm & hoc Decretum ſequitur, vt *Dilectio* ſiue *Virtus nullius alterius rei acceſſione perfectior magisq́; expetenda reddi poſſit*. nam alioquin & acceſſiones illæ inter Bona numerari, & ad Beatitudinem conſtituendam requiri deberent. Atqui docuimus jam ſuprà, præter Virtutem, quæque ab ea proficiſcuntur, nihil eſſe, quod bonum haberi mereatur: nihil etiam præter eamdem expetendum nobis eſſe. Dominus monet apud Matthæum: Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite ergò primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. *Clarum* ergò eſt, præter Iuſtitiam ſiue Virtutem (quæ ſola bonum eſt, & ſi cum aliis, quæ bona vſurpantur, comparetur, Summum bonum) nihil nobis eſſe nec quærendum nec expetendum. Bona enim corporis & fortunæ, quæ vulgus vocat, expeti non debent more gentium, ſed ſumi cum gratiarum actione ſeligiq́; poſſunt. Vera enim bona ſunt. Non tamen quod non eſt bonũ, ait Clemens noſter, continuò malum eſt: Sunt enim quædam, quę medium locum obtinent, et in Mediis ſiue Indifferentibus ſunt præpoſita & rejecta. Et quod bona quidem non ſint, eorum contraria ſatis docent, quæ mala nemo ſapiens dixerit. Num enim eſurire, ſitire, aliaque ſentire

incommoda, Malum putabimus? At ea Christus ipse nonnumquam Bona esse dicit, in iisq; Beatitudinem collocat. Sunt igitur & ista, & contraria eorum nec bona, nec mala, sed Media, seu Indifferentia, velut ex Stoicorum sententia demonstrauimus. Nobis data lex, ait Clemens idē, ea, quæ verè mala sunt, jubet fugere, adulteriū, petulantiā, puerorum amorē, ignorantiam, injustitiam, morbum, animæ mortē, non eam, q̄ soluit animam à corpore, sed eam, quę animam dissoluit à veritate. Hæc enim sunt grauia & verè timenda vitia, & quæ ex iis proficiscuntur actiones. Quę autem fortunæ dicuntur incommoda, ea viro bono non sunt formidabilia, quoniam non sunt mala. Quæ autem verè sunt grauia, ea sunt à Christiano sapiente aliena, vtpote quæ ex diametro & rectà pugnant cum bonis, quoniam ea sunt mala, nec fieri potest, vt eidem eodem tempore simul insint contraria. *Quid* igitur? inquies. Non beatior fuit Iob, cùm omnibus externis bonis siue commodis abundaret ac floreret, quàm cum liberis suis orbatus ac possessionib. dejectus, in cinere immundā vlceris sui redundantiam testa destringeret, & erūpentes bestiolas inde, in eosdem specus & past⁹ foraminosæ carnis reuocaret? Quid dicā? nisi justior fuit, nisi sanctior, & nisi Deum plus dilexit, cùm postea quæ amiserat reduplicata possedit, neq; beatiorem fuisse certum est: si modò in eo, q̄ supra est positum constare nobis volumus & beati-

beatitudinem in Dei dilectione collocamus. Vt colossus major non fit, si in edito celsoq; loco, quàm si in puteo statuatur: itẽ sapiens noster, siue hanc ipsi quasi commodorum basin fortuna subducat, siue ipsum diuitiæ honoresq; in alto fastigio positũ excedere extrà faciant, eamdem felicitatis suæ magnitudinem seruabit, hoc est, æquè Deum diliget, & Iobi exemplo ad omnẽ acerbum nuncium nihil ex ore promet, nisi DEO GRATIAS. Quamuis autem refelli queat, Christum in ea, quam nobis præiuit, orandi formula, *Panem* etiam petere nos docuisse, dubium tamẽ non est, quin Spiritualis istic panis ὁ ὑπερούσιος intelligi debeat, vt in Apologetico dixi. Sin autẽ corporalem quis interpretari malit (quamuis hoc parum habeat verisimilitudinis) non tamen tam expetere eum, quàm eligere sapiens censebitur. Finis enim est, qui expetitur: eligimus autem, si quid nobis ad finem, hoc est, vltimum bonorum, commodum fore nouerimus. Sanitas, inquit Clemens, & rerum necessariarum copia, sunt retinenda non propter se, sed propter corpus, habetur autem cura corporis propter animam, ad quam fit relatio. *Atqui* hoc etiam à Stoicis mutuatur Clemens. Sic enim scribit Seneca: Puto inter me teque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli: in animo esse partes ministras, per quas mouemur alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irratio-

nale,est & rationale. Illud huic seruit. Hoc vnum est, quod aliò non refertur, sed omnia ad se perfert.

CAP. CXXXVIII.

PORRO autem priusquam ad alia de sapiente Paradoxa accedamus, quis sapientis nomen mereatur, prius dispiciendum est. Stoici *sapientem* vocant eum, qui finem siue extremum bonorum consecutus est, hoc est, qui secundum Virtutem siue rectam rationem viuit. Nobis igitur Christianis similiter sapiens vocabitur, qui summum bonum possidet, hoc est, dilectione Dei & proximi mandatis diuinis paret. Hanc descriptionem ipse nobis Dominus ostendit his verbis: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluria, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petrar. *De* hoc igitur sapiente varia sunt apud nos Christianos Paradoxa, Stoicis illis similia: quod non mirabitur, qui meminerit Græcos Philosophos, Hebraicæ veritatis fures à Clemente Alexandrino appellari, qui & Stoicos dogmata illa, quibus regnum, sacerdotium, prophetiam, legis ferendæ scientiam, diuitias, pulchritudinem, nobilitatem, libertatem, soli sapienti tribuunt, à magno illo Moyse accepisse credere se testatur. Sit ergò primum Paradoxon

Sapien-

Sapientem carere affectibus seu perturbationibus.

CVius ex Sacris scripturis rationé petit Clemés Deus stetit in medio deorũ, in medio auté deos dijudicat. quosnam? eos, qui sunt voluptate superiores, eos, qui vincũt animi motus & affectus. Et rursus: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Et dicit Apostolus: Vos autem non estis amplius in carne, sed in spiritu. Et in quarto Stromatum: Deum, inquit, oportet imitari, quoad eius fieri potest ab eo, qui est sapiens, ac videntur mihi Poëtę quoque electos seu sapientes appellare θεοειδέας, deiformes, & δίους diuòs, & ἀντιθέους Deo æquales, & θεοῖς ἐναλίγκια μήδεα ἔχοντας, quorũ similis prudentia Diuis, circumrodentes illud in sacris literis: ad imaginem & similitudinem Et libro secundo: Plato, inquit, finem ponens beatitudinis dicit eam esse ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, *Deo assimilationem, quoad eius fieri potest*, siue cum legis decreto quodammodo concurrens: magnæ enim naturæ & liberæ ab animi perturbationibus, nescio quomodo feruntur ad scopum veritatis, vt dicit Philo Pythagoræus Moysis res gestas describens, siue etiam doctus ab aliquibus, quæ tunc erant, diuinis eloquijs, vt qui doctrinæ siti semper teneretur. Dicit enim lex: *Post Dominum vestrum ambulate, & mandata mea seruate.* Assimilationem enim lex nominat consectationé,

ta alienandi aut offendendi. Quod autem neque *Ira* in ſapientem cadat, nihil attinet operoſè probare. Omnem hujuſmodi motum vna hæc Chriſti oratio ſuccidit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vos, & qui te percutit in maxillam, ei præbe & alteram. *Triſtitia* etiam vacare ſapientem debere illa Apoſtoli cohortatio aduincit: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Et hoc eiuſdem quaſi Decretum: Non eſt regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Et hoc Salomonis: Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit. Et ratio etiam eſt euidens. Ferè enim ex his triſtitia ſequitur, ſi aut non ſucceſſit, aut ſucceſſus pudet: quorum in ſapiente neutrũ cogitari poteſt. Nam vt pudeat eum, qui ſit ſapiens, ne intelligi quidem datur, cùm ignominiæ metus ſit pudor, ignominiam verò, quæ vulgo videtur, etiam inter beatitudines Chriſtus referat. Sed neque quicquam eſt, quod non ſuccedat ſapienti, ſiue, quod contra opinionem ipſi accidat. Non illum quidem caſibus hominum excipimus, ſed erroribus: nec illi omnia, vt voluit, cedunt, ſed vt cogitauit. In primis autem cogitauit, aliquid poſſe propoſitis ſuis reſiſtere. Neceſſe eſt autem leuiùs ad animum peruenire deſtitutæ cupiditatis dolorẽ, cui ſucceſſum nõ vtiq; promiſeris. Quod autem *Voluptate* ſapiens vacare debeat, pulchrè diſputat Clemens in ſecundo Stromatum, vbi inter cetera & hæc habet:

Non

Non est omnium necessaria affectio voluptatis: sed accessio quædam & affectatio vsibus quibusdam naturalibus, fami, siti, frigori, matrimonio. Si itaque fieri posset, vt absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius eius vsus. neq; enim actio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est Voluptas, sed vicarij ministerij & subsidij gratia in vitam accessit, quemadmodum dicunt accessisse salem nutrimenti concoquendi caussa. Quæ est autem effrenata, & domus administrationem vi sibi vsurpauit, primam generat cupiditatem, quæ est desiderium & appetitus à ratione alienus, eius qui ipsi indulget. *Sed* hanc ipsam Stoicorum fuisse sententiam ex Laërtio in vita Zenonis, vbi de Appetitione loquitur, videre licet. Omnino nullum ex omnibus affectibus, vt dixi, in sapientem cadere Clemens contendit, vt prorsus illud eueniat, quod Psaltes dicit: *In æternum nō commouebitur iustus.* Misericordiam tamen in ipso tolerat, sed eam nullo genere Affectum seu perturbationem esse concedit, quod *Affectus*, vt ipse definit, sit nimis abundans animi impetus & incitatio, vel, quæ plus quam par sit, transeat superetque mensuras rationis, vel, impetus & incitatio, quæ non pareat rationi. *Misericordia* autem non est ægritudo (ait idem) propter alienas miserias, sed est potius aliquid diuinum, vt dicunt Prophetæ: *Misericordiam* inquit, *volo & non sacrificium.* Quod si autem instes ei, & Misericordiam, animi pertur-

bati-

bationem & declinationem à ratione esse pertendas, sic tibi ab eodem respondebitur: Quid tu dicis? & quomodo tibi deinceps seruari poterit hæc definitio, cùm præceptum miserendi mihi per Rationem datum sit? *Ego* tamen, vt quod res est dicam, Clementem falli, neque *Misericordiam*, sed actiones illas, quæ ab alijs ex misericordia suscipiuntur, & à Theologis *Misericordiæ opera* vocantur, à Deo nobis commendari existimo: cùm in scripturis solemne hoc spiritui sancto esse videamus, vt vocibus plerisque perinde vt homines vulgò solent vtatur, eaq; in re captus nostri rationem habeat. sic ergò Beatos dicit Misericordes, non qui ipsi se ob miserias aliorum animi angunt & affli-ctantur, sed qui opere ipso calamitates eorum subleuare properant: vocantque hanc eiuscemodi actionem Stoici *officium* seu *Beneficentiam* à recta ratione profectam (quæ jubet hominem homini opem ferre) non autem ab aliqua ægritudine & contractione animi, quam alienarum miseriarũ respectus in nobis excitauerit. Sic igitur maxima de vocabulis tantùm lis est. nam rem ipsam Peripatetici, quos hodie & Theologi illum sacrarum literarum ad humanam rationẽ accommodatum loquendi morem secuti imitantur, humanius, vt apparet, sed Stoici verius exprimunt: si quidem Christus, cum præcepisset nobis? *Estote misericordes*: ne de commotione illa animi potiùs, quàm de actiõe benefaciendi locutus videretur, statim subiecit: *Sicut & pater vester misericors est.* Et hæc de primo Paradoxo: videamus nunc de ceteris.

autem ciuitatis imagines poëtæ quoque condunt, ſcribentes: Hyperboreæ enim & Arimaſpiæ ciuitates, & campi Elyſij, ſunt reipub. & ciuitatis iuſtorum inſtituta. Scimus autem Platonis quoque rempub. eſſe poſitam in cælo, vt exemplar. Confirmat autem hæc Apoſtolus: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis.

Sapientem eſſe pulchrum.

IDē Clemens in quinto: Hæc, inquit, dogmata vulgò iactāt Stoici, & ante eos in Phædro precās Socrates: O Pan, & dij alij, date mihi, vt intus ſim pulcher & honeſt⁹. *In* Theæteto autē apertè dicit: Qui.n pulchrè dicit, & honeſtè, is eſt pulcher bonuſq; & honeſt⁹. Et in Protagora fatet Protagoræ familiarib⁹, ſe eū cōueniſſe, q eſſet pulchrior Alcibiade: ſi quidem eſt pulcherrimum id, qd eſt ſapientiſſimum. Dicebat enim Virtutem eſſe animæ pulchritudinem: cōtra autem Vitium, animæ turpitudinem. Libro etiam ſecundo iſta habet: Pulchrum eſſe ſapientem, ſic dicit apud Platonem hoſpes Athenienſis: Quod ſi quis affirmet iuſtos, & ſi ſint deformes corpore, quatenus quidem ſunt mores iuſti, ea ratione eſſe pulchros, propemodū nullus ſic dicens videri poſſit malè dicere. Cū his autem locis confert Clemens illud ex ſcripturis: ſpecioſus forma præ filijs hominum. Sapi-

Sapientem esse Diuitem.

IS ipse Clemens in secundo Stromatum cùm dixisset, videri Stoicos Paradoxa sua ab Hebræis mutuatos, hæc subjungit: Age verò ostendamus Platonem quoque ijsdem suffragari dogmatibus. Sapientem quidem in Phædro dixit esse diuitem, dicens: O Pan, & quicumque alij Dij hic adestis, date mihi vt sim pulcher in ijs, quæ sunt intrinsecus; extrinsec⁹ aũt quæcũq; habeo, sint mihi amica ijs, q̃ sunt intrisec⁹: sapientẽ verò diuitẽ existimem. Hospes aũt Atheniẽsiseos reprehẽdens, qui existimabant illos esse diuites, qui multas possident pecunias, sic dicit: Vt autem valdè sint diuites & boni, nequit fieri: ij quidem, quos vulgus diuites numerat. Dicit autem eos, qui in paucis hominũ maximi pretij possessiones possident, quas etiam malus aliquis possidet. Fidelis est totus mundus pecuniarum, ait Salomon: Infidelis autem, ne obolus quidem. Multò ergò magis Scripturæ credendũ est, quæ dicit fore, vt citius camelus per foramen acus transeat, quàm vt diues philosophetur. Contrà autem pauperes Plato beatos censet, vt intellexit, dicens: Non est enim Paupertas, pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas: quæ si recesserit, qui bonus est, diues quoque fuerit. Et postea eodem libro: Quod omnia sint sapientis, apertè indicat Abraham dicens: quoniam Deus mei misertus est, mihi sunt omnia. Idem libro sexto: Vera quidem opulentia, est abundantia in ijs, quę sunt ex virtute actionibus. Paupertas autem est inopia in moderatis

deratis actionibus, possessiones enim & vsus rerum necessariarum non habent qualitatem noxiam, sed eam, quę est prætermodum, quantitatem, quocirca circumscribit sapiēs cupiditates, & in possessione, & in vsu non transiliens terminum eorum, quæ sunt necessaria.

Sapientem esse sacerdotem, & Regem.

IN Apocalypsi S. Ioannes legimus: Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnū & sacerdotes Deo, & patri suo. Et rursum: Fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Clemens noster Platonem quoque in Politia hoc Decretum habere affirmat, idque in sapientem Christianum sic accommodat: Iam qui in Christum crediderunt, Christi, id est, vncti & sunt & dicuntur, sicut ij, qui sunt reuera Regales, Regi curæ sunt, sicut enim sapientes sunt sapientia sapientes, & q sunt iusti iustitia sunt iusti, ita etiā sunt à Christo rege Reges, & qui à Christo, sunt Christiani.

CAP. CXL.

SIc igitur planum me fecisse arbitror, *Dogmaticam* Stoicę Philosophiæ partem multi propius, quam vel Epicuri; vel Peripateticorū rationem, ad integritatem & veritatem Christianæ fidei accedere, vt ita scholarū nostrarū præ-

ceptores de tradenda illa & publicè docendā minimè dubitare debeant. Nunc tempus est, vt ad alteram Philosophiæ illius, quæ mores ordinandos suscipit, partē accedamus. Eam dixim⁹ esse *Paraneticam*, hoc est, quę pręcepta ad singulas vitæ partes pertinentia cōplectitur. Illorum pceptorum pars medicinam nimiæ appetitioni siue affectibus morbisque animi facere docet, pars officia & actus humanos disponit. Primū igitur videam⁹, quāta sint, q̄ à Philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quædam medicina certè, nec tam fuit hominum generi infensa atq; inimica natura, vt corporib⁹ tot res salutares, animis nullā inuenerit: de quibus est hoc etiā merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Vt igitur via & ordine oratio nostra procedat, de remediis animi, quibus, quando & qualia adhiberi debeant, consideremus. Vt enim in caussis Oratores non semper vtuntur eodem statu, sed ad tempus, ad controuersiæ naturam, ad personam accommodare solent: sic in morbis animi leniendis quam quisque curationem recipere possit, videndum est. Nam in perfectum siue sapientem nullam istarū perturbationum cadere, adeoq; curationem eius superuacuam esse, ex iis, quæ adhuc dixim⁹, apparet. Proficientium verò & ad perfectionem tendentium non vnum est genus: in tres enim classes diuiduntur. *Primi* sunt, qui sapientiam non-

nondum habent, sed ei alludunt, & iam in vicinia eius constiterunt (sed tamen etiam quod ꝓpè est, extra est) siue, qui nondum in sicco, sed iã in portu sunt, hoc est, qui effugerunt morbos & ægrotationes animi, affectus nondum; & adhuc in lubrico stant, quia nemo est extra periculum malitiæ, nisi qui totam eam excussit: nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiã assumpsit. *Secundum* genus est eorum, qui maxima animi mala deposuerunt, sed ita, vt non sit illis securitatis suę certa possessio: possunt enim, & solent nonnunquam in eadẽ relabi. *Tertium* illud genus extra multa & magna vitia est, sed nõ extra omnia. Effugit auaritiam, sed irã adhuc sentit: iam non solicitatur libidine, sed habet etiam vnum ambitionẽ: iam non concupiscit, sed adhuc timet: & in ipso metu ad q̃dam satis firm⁹ est, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorẽ reformidat. Hæc igtur intueri oportet eum, qui curationem velit suscipere. Non parum etiam refert, quæ quando ægrotis maleque affectis animis adhibeantur. Ad recentes enim quasi tumores admoueri remedia Prometheus apud Æschylum & Chrysippus vetant. Primam iram inqt Seneca, non audebim⁹ oratione mulcere, surda est & amens: dabim⁹ illi spatiũ: remedia in remissionibus prosunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cętera vitia, dum feruent. Veruntamen idẽ Seneca Consolatione ad Marciã de rapto filio lugentẽ

ſcribere audet: Cupiſſem primis temporibus ad iſtam curationem accedere, leuiore medicina fuiſſet oriens adhuc reſtinguenda mali vis: vehementiùs contra inueterata mala pugnandum eſt. Nam vulnerum quoque ſanitas facilis eſt, dũ à ſanguine recentia ſunt: tunc & vruntur, & in alterũ reuocantur, & digitos ſcrutantiũ recipiunt: vbi corrupta in malũ vlcus veterarunt, difficilius curantur. Quid iam igitur cauſſæ dicemus fuiſſe Senecæ, cur non dico cõtra Chryſippi magiſtri &, vt Apuleianè loquar, maioris ſui, aut cõmunem omnium hominum, velut Plutarchus teſtatur, ſed contra ſuam ipſius ſententiam tam intempeſtiuè medicina violentiſſima vtendum ſibi putarit? Dicendum eſt, eum callidorum more ornatorum eo, quod cauſſæ ſuæ ſiue perſuaſioni accõmodatiſſimũ fore intelligebat, vti voluiſſe: ꝙ quidem à ſapiente ſtoicorum alienum nõ eſt, quẽ multa ob alienum bonũ ſimulare nõ dedecet. Ingemiſcet enim, & efflebit etiam lugenti eiuſque dolori lacrimas ſuas commodabit, non quo quicquam ipſi tranquillum animi ſtatum perturbet, ſed vt ad luctum alteri ſedandum plᵘˢ auctoritatis adferat, ſi & ipſe pariter dolere videatur. Simulabit iram, inquit ipſe Seneca, vt tanquam adiutor & doloris comes plus auctoritatis in conſiliis habeat: omni arte requiem furori dabit, ſicut medicum aiunt, cum regis filiam curare deberet, nec ſine ferro poſſet, dum tumentem mammam leniter fouet, Scalpellum ſpon-

ſpongia tectum induxiſſe, repugnaſſet puella remedio palam admoto: eadem, quia non exſpectauit dolorem tulit: quædam non niſi decepta ſanantur. Omnia igitur facienda ſunt ſapienti, vt ad felicem curationis euentum perueniat. Hoc conſilio ſapientiſſimus Plutarchus Apolloniam filii obitu lugentem conſolaturus, dolorem naturalem eſſe dicit, & ſtoicos, quod eum tollere & eradicare conarentur, reprehendit. Sciebat enim facilius mulieri ſe perſuaſurum, nimium luctum fugiendum eſſe, ſi illius etiam mediocritatem multos ſapientes viros non admittere conſtaret: vt omittam, id eſſe hominis ingenium, vt ſummum ius ſummam patet iniuriam, & niſi in quibuſdam ipſi indulgeas, nulla in re quod ratio poſtulat, impetrare ab ipſo poſſis. Senecæ autem ſic cum Marcia agendum viſum non fuit. Suſpectum enim ſuum hoc officium reddidiſſet, ſi contra id, quod palam profitebatur, diſputare conatus eſſet. Aliam igitur ad leniendum ipſius luctum viam affectauit, vt oſtenderet nimirum, eam ob hoc, quod tam inſolabiliter filiam lugeret, minimè accuſande eſſe ideo quod à principio ipſi defuiſſet, qui veram mali medicinam cognitam haberet: ac propterea mirum non eſſe, ſi medici inopia neglectum malum inueterauerit & diuturnitate corroboratum fuerit, quod iſta videlicet morborum animi natura ſit. Sic igitur in fortunam potius, quam in ipſam Marciam, pertina-

cissimi luctus culpam confert Seneca, cuius propterea auctoritate ad conuellendā pcepti huius firmitatē qua non temerè malis recētib⁹ adhibēda dicitur medicina, minimè vtendum videtur.

CAP. CXLI.

PORrò qualia esse debeant remedia, quib⁹ ad morbos & perturbationes animi vti debeamus, variè, inter philosophos disputatū fuit: quorū sentētias priusquā proponamus, vtile fuerit, ipsarū perturbationū morborumq;, q ex iis nascuntur, naturā inspicere. In *Libidine* igitur siue *Cupiditate* duo insunt; vnū opinio & iudicium magni alicuius absentes boni; alterū, oportere, rectum esse, ad officiū pertinere, vt bonum illud concupiscas. In *Voluptate* seu *Lætitia* itidē duo; vnū, opinio & iudiciū magni psentis boni: alterum, oportere & rectū esse, boni illius causa animo efferri & gestire. In *Metu* similiter vnū, opinio magni impendētis mali: alterū, oportere & rectum esse, malū illud velut intolerabile auersari. In *Ægritudine* siue *Tristitia*, vnū, opinio & iudiciū magni præsentis atq; vrgētis mali: alterū, oportere, rectū esse, ad officiū pendere, vt animū demittas ac cōtrahas, siue, vt ægrè feras, q accciderit. De Auaritia, Ambitione, In hospitalitate, ceterisq; morborum & offensionū speciebus nihil hic repetere attinet, cum ex Libidine, Voluptate & Metu originē ducāt. His ergo malis duplicis generis remedia nobis Philosophi suppeditant.

ditant:vnum, quod nos ab istis morbis & vitiis, ne in ea scilicet incidamus, p̄munit: aliud ꝙ animos iā occupatos purgat, & ratione incōpositos illos motus euellit. Prioris medicinæ specimen paulo post exhibebo: nunc de priore considerem⁹. Cic. igitur quātum ex quarto Tusculanarū colligere potui, illā rationē & orationem vtiliorum censet, q̄ opinionē falsam, tanquam radicē euellit ac tollit, docetq; nec bonum illud esse ex quo lætitia aut libido oriatur, nec malū, ex quo metus aut ægritudo: sed eā p̄terquam apud eos, q̄ iā paulo longius in philosophiæ studio ꝓcesserunt, tarò proficere, neq; ad vulgus adhibendam putat. Certa aūt & propria sanatio ipsi videtur. si doceas, ipsas perturbationes p se esse vitiosas, nec habere quicquā aut naturale aut necessariū, sed oēs eas esse in nostra potestate, oēs iudicio susceptas oēs voluntarias. Hæc, inquā, ac vulgus curatio vtilis videtur; ceterū iis, qui quā quadātenus in philosophia profecerūt, opinionem boni vel mali eximendā esse ex ijs, quæ mox de vsu & necessitate Decretorū subiungemus, apparebit. neque tamē negat Cic. apud vulgus quoq; ꝓdesse multū, ea, q̄ nos pturbāt, cōtēnere, sed operę pretiū facturi videmur, si partes p̄turbationis singulas ꝓponam⁹, & quo quæq; modo curāda sit, demōstremus. Ab *Ægritudinis* itaq; sedatione incipere nobis placet, qua nullū homini malū mai⁹ est. Etsi .n. omnis animi pturbatio grauis est, nec multū differt ab amentia: tamen ceteros, cū sunt

in aliqua perturbatione aut metus, aut lætitiæ, aut cupiditatis, commotos modo & perturbatos dicere solemus: at eos, qui se ægritudini dediderunt, miseros, afflictos, ærumnosos, calamitosos. Habet ardorem libido, leuitatem lętitia gestiēs, humilitatem metus: sed Ægritudo maiora quædam, tabem, cruciatum, afflictationē, fœditatem lacerat, exest animam planeq; conficit; Hanc nisi exuimus sic, vt abiiciamus, miseria carere non possumus. Et Cleanthi quidem placuit, *Consolantis*, hoc est, eius, qui ægritudinem sanare cupiat, vnum esse officium, docere malū illud omninò non esse, quod acciderit, cum malum, nisi turpe, nihil sit. Sed & aliena hæc videtur consolatio, quippe non luctum, sed stultitiam lugenti detrahens, neque perpetuo etiam vera, cum fieri possit, vt quis ægrè ferat, nihil in se esse virtutis, nihil officii, nihil honestatis; cui qui hoc modo mederi velit, vt ea in re, quæ ipsum angit, nihil mali esse dicat, ipse potius sanandus videatur: quod ipsum etiam Lyconi, qui ab Aristotele tertius Lycæum rexit, responderi potest, cum à consolante doceri vult, magnum malum non esse, sed fortunæ tantum vel corporis incommodum, quod ægritudine afficiat. Epicurus animum à cogitanda molestia auocandū, & ad contemplandas tam præteritas, quam futuras voluptates reuocandum censet: qui si animi tantum voluptates intelligeret, nec nihil, nec omnia dicere videretur. Nam & princeps poetarum hac consolatione vtitur;

Reno-

——Reuocate animos mæstumq; timorem
Mittite; forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis

CHrysippus caput esse censet in consolando, probare mœrenti, illum suo iudicio mœrere, & quod ita putet facere oportere: si cui ergo hæc detrahatur opinio, ægritudine leuatum iri putat. Hæc ratio, ait Cicero, ad veritatem firmissima est, ad tempus ægritudinis difficilis. Hoc enim mærenti persuadere, vt suo tantum iudicio, non reipsa lædi se credat, magnum opus esse putat. Veruntamen ne tantam huic rei difficultatem inesse credam, ipsius Ciceronis studio effectum est, qui paulò ante eo ipso libro copiosè demonstrauerat, non in natura, sed in opinione esse ægritudinem, & voluntate ac iudicio suscipi. Hoc *primum* eorum exemplo docet, qui obitu suorum crucientur & in luctu sunt, multi enim tales lacerant genas, pectus percutiunt, comam scindunt, & solitudines captant, tantum quod hoc facere rectum esse putent: id hinc intelligi, quòd qui sic lugent, cum fortè nonnihil humanius fecerint, an hilarius locuti fuerint, ipsi se rursus ad mœstitiam reuocant: pueros etiam magistri & matres castigare solent & plorare cogunt, si quid in lucto domestico hilarius ab ijs factum est, aut dictum. *Deinde* ostendit, re-

missionem luctus, quę, postquam nihil nos mœrendo proficere intelleximus, cősequi solet, vel ab aliis etiam affectibus, vt timore, imperatur, declarare totum illud esse voluntarium. si enim deponi potest, etiam nő suscipi potest. *Tertiò*, cũ defatigatio miseriarũ ęgritudines faciat leuiores (qui .n. multa sunt sæpe perpessi, facilius ferunt, quicquid accidit) intelligi necesse esse ait, non rẽ ipsam? causam atq; fontem esse męroris. *Quartò* Philosophorum summorum, necdum tamen sapientiã consecutorũ exemplo vtitur. Hi enim cũ intelligãt se multa ignorare, & in media stultitia hęrere, qua nullum grauius malum esse putant, nulla tamen tñ ægritudine premuntur. nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris, siue, nő opinantur rectum esse, hoc nomine se affligere. *Quintò*, illorũ adducit exẽpla, qui amissis morte filiis ægritudinẽ repulerunt, tantũ ꝙ putarẽt luctũ viro indignũ esse cuius argumenti vim sic illustrat Epictetus: Homines pturbantur non reb⁹ sed iis, quas de rebus habent opinionibus; verbi causa: Mors nő est malum. alioqui .n. & Socrati ita visum esset. Sed opinio de morte est, q̃ malã eã faciat. Cũ igitur impedimur aut distrahamur, nő alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est, nostras opiniones. *Postremò*, deniq; experimento illo, quo cőstat ægritudinẽ vetustate tolli, nő in die; sed in cogitatione diuturna medicinã esse ꝓbat. Cũ enim eadẽ res sit, q̃ angit, & idem homo non potest quicquã de dolore mutari, si neq; de

eo, pro-

eo propter quod dolet, quicquam est mutatum, neq; de eo, qui dolet. Cogitatio igitur diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, nō ipsa diuturnitas. Iā verò si cogitatione Ægritudo deponitur, cogitatione etiā & opinione suscipitur. Hæc ergo sunt ipsius Cic. argum, qui cur hanc Chrysippi cōsolandi ratione tertio Tusculanarū minus probet, videre nō possum, cū pſertim lib. seq. contrariū prorsus hic statuat: Mihi quidē in tota ratiōe ea q̄ ptinet ad animi pturbationē, vna videtur causā cōtinere, oēs eas esse in nostra potestate oēs iudicio susceptas, oēs voluntarias res.

CAP. CXLII.

VEruntamen & hoc ad consolantis officium pertinet, vt doceat, summā esse stultitiam, frustra confici mœrore, cū intelligas nihil posse ꝓfici. Vtile etiā ad persuadendū fuerit eū, q̄ doleat, de propria vitæ conditione admonere, vt quā hoc personæ suæ nō conueniat, quāq; alios hac sua ægritudine offendat, ipse sibi proponat: quo medicinę genere apud Liuiā de obitu Drusi filii lugentē Areus Phil. apud Polybiū aliosq; Seneca noster vsus est. Ante oīa verò operā consolanti dandam putat Cicero, vt ꝙ continet sedationem animi, humanā in cōspectu ponat naturā, ꝙ officiū Seneca sic describit: Omnes, qui monere volunt, incipiunt, à præceptis, desinunt in exemplis. Nam quo facilius humana natura expressa cernatur, cōmunis conditio lexq; vitæ explicari oratione solet, & de ipsius rei natura, qualis & quan-

& quanta ſit, queritur: vt de Paupertate nonnunquã, cui⁹ onus diſputando leuamus, docẽtes, quã parua & quam pauca ſint, quæ natura deſideret. Deinde, vt perſuadeamus ea, quæ accidunt, ferri poſſe & oportere, à diſputandi ſubtilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur, hic Diogenes, hic Cæcilianum illud:

Sæpe etiam eſt ſub palliolo ſordido ſapientia.

CVm enim paupertatis vna eademque ſit vis, quidnam dici poteſt, quamobrem C. Fabricio tolerabilis ea fuerit, alii negent ſe ferre poſſe? Huic alteri generi ſimilis eſt ea ratio conſolandi, quæ & vſitata eſt, & ſæpe ac multum prodeſt: Non hoc tibi ſoli: Non tu primus es, neque vltimus, cui hæc accidant. Quam conſolationem non eſt, quod quis miſeram & frigidã vocet. Neceſſitas certè ferendæ conditionis humanæ, vt inquit Tullius, quaſi cum Deo pugnare prohibet, admonetque eſſe hominem, quæ cogitatio magnopere luctum leuat: & enumeratio exemplorum, ſiue ea ſigillatim recenſeantur, ſiue etiam hac generali formula multi ſimul repræſententur, efficit, vt ille, qui mæret, ferendum ſibi id cenſeat, quod videat multos moderatè & tranquillè tuliſſe. Omnibus enim modis fulciendi ſunt, qui ruunt, nec cohererere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis. Præterea quis

quis dubitare poteſt, quin vtiliſſima ſit hæc conſolandi ratio, cum ea gaudere & ęgritudine leuari homines ſoleant? quod præter ceteros, qui laudari poſſent, auctores & ſcriptor meus Symmachus confirmat: *Aduerſa* (inquit) *quæ cum pluribus perferimus more ingenij humani habent aliquod de ſocietate ſolatium: quæ verò ſpeciatim alicui caſus durus adiecit, altius imprimi ſolent.* Sed cauſſam tamen huius rei non ita multi perſpiciunt. Eam ſubindicat Plautus:

Hoc verum eſt, proinde vt quiſq; fortuna
vtitur,
Ita præcellet, atq; exinde ſapere eum omnes
dicimus.
Bene vbi quod diſcimus conſilium accidiſſe,
hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illum
cui uertit malè.

PLautumque imitatus Cicero in Rabiriana: Hoc plerumque facimus, vt conſilia euentis ponderemus, &, cui benè quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe, dicamus. Ex quo ſeneca, *fortunam plerumque pro culpa eſſe* dicit. Cum ergo ex Sophoclis ſententia τῶν πημονῶν μάλιστα λυποῦσ' αἳ ἂν φανῶσ' αὐθαίρετοι malorum & infortuniorum ea demum doleat plurimum, quæ vltro & ſponte contracta videri poſſunt, multos alios conſpicientes;

tes, iisdem, quibus nos, calamitatibus oppressos, nos velut innocentes esse ostendimus, quiq; reprehendi non mereamur, quod eandẽ, q̃ multi alii, fortẽ inciderimus. Talia enim, q̃ multis accidunt, omnib. videntur accidisse (multi.n. ait Arist. instar omniũ sunt) adeoq; euitari nequaquã posse. Maximè verò molestias extenuat & diluit, q malis ipsis edoctus, nisi ꝓbrũ, omnia alia indelicta æstimat, siue, vt Cic. ait, videt nullũ esse malũ, nisi culpam: culpam aũt nullam esse, cum id, ꝙ ab homine nõ potuerit pstari, euenerit. Sed neq; non illud magnopere animũ ægrotũ iuuat, si mortalitatis & breuitatis vitæ in mẽtẽ reuocetur. Quod enim de Ira deponenda habet Seneca, ad Ægritudinẽ ceterasq; perturbationes medẽdas pariter ꝓdest. Nulla, inquit, res magis ꝓderit, quã cogitatio mortalitatis. Quid iuuat tanquã in æternum genitos iras indicere, & breuissimã ætatem dissipare? quid iuuat dies, quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorem alicuius tormentumq; transferre? non capiunt res istę iacturam, nec tempus vacat perdere. quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accersimus? qd imbecillitatis obliti, ingentia odii suscipimus, & ad fraugennum fragiles consurgimus? Quin potius vitam breuem colligis, placidamq; & tibi & ceteris præstas? Plutarchus etiã consolatione ad Apolloniam vtilissimum fore censet, si in ægritudine nos ipsos ita compellemus: Quid igitur faciemus? an per omne vitæ tẽ-

pus

pus miseriæ continenti tempus protogabimus? an potius lugendi aliquando finem faciemus? nã infinitum velle luctum facere, extrema est insania, cum videamus eos, qui in summo grauissimoq; fuerunt mœrore, sæpissimè fuisse temporis ꝓgressu adeò mitigatos, vt apud monumenta, q̃ sine acerbo eiulatu & pectoris planctu ante non visebant, iam conuiuia musicis aliisq; ad lætitiã facientibus rebus adhibitis celebrarent. Insani ergo est secum statuere, velle se in luctu ꝑseuerare. Si verò decreueris aliquãdo eũ desinere, simul & hoc reputato, tẽpus esse, ꝙ leniturum sit ægritudinem. Quod autem multi consolantium sic se medicinam ægritudini facturos putant, si mœrentem animum spectaculis, ludis aliisq; iucundis rebus auocent, cur minus nobis rationẽ suã probent, sic causã Senecæ verbis reddimus. Ludis interim aut gladiatoribus animum occupamus: at illum inter ipsa, quibus auocatur, spectualia leuis aliqua desiderii nota subibit. Ideò melius est illũ vincere, quã fallere, nam qui aut delusus voluptatibus, aut occupationibus abductus est resurgit, & ipsa q̃ete impetũ ad sæuiendum colligit. Atqui rationi cessit, in perpetuum cõponitur. Non sum itaq; mõstraturus illa, quibus vsos multos esse scio, vt peregrinatione te vel lõga detineas, vel amæna delectes, vt rationũ accipiendarũ diligentia, patrimonii administratione multũ occupes tẽporis, vt semper nouo te aliquo negotio implices. Omnia ista ad exiguum momen-

momentum prosunt, nec remedia doloris, sed impedimenta sunt. Ego autem malo illum desinere, quam decipi. Ceterum si quis de omni Consolantis officio plura & accuratiora discere desiderat, ei lectio Senecæ nostri epist. XCIX. itemque. Consolat. ad Polybium, ad Marciam & ad Heluiam, Plutarchi quoque. Consolat. ad vxorem, & ad Apolloniam magno fore vsus præstabo. Nos iam tempus admonet, ad reliquarum quoque perturbationum curationem accedere, cuius ex iis, quæ de lenienda Ægritudine diximus, multò facilior ratio est futura.

CAP CXLIII.

Metus igitur, qui est Ægritudini finitimus (nam vt ægritudo est præsentis, sic ille futuri mali, ac propterea à nonnullis ægritudinis pars quædā Metus dicitur; ab aliis *Præmolestia*, quod est quasi dux consequentis molestiæ, appellatur) eodem pœne modo, quo Ægritudo, curari potest, quibus enim rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Ei igitur, qui Metum adimere alteri cupiat, primum de ipsius metus inconstantia imbecillitate leuitate dicendum est, admonendumque ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum abiectumque fiat. Deinde ostendat, id, quod metum incutit, si omnino malum sit (neque enim hoc negare hoc loco profuerit) tale tamen non esse, quod tolerari & pferri nequeat.

Cum

Cùm igitur quæ vulgò timenda iudicantur, alia sint naturalia, quæ silentio subeunt, & nec oculis, nec auribus quicquam terroris incutiunt, cuiusmodi sunt inopia, & morbi & mors ipsa: alia externa, quia ex aliena potentia impendent, magnoque strepitu ac tumultu veniunt, qualia sunt tormenta & carnificinæ, cuius rei propter magnam varietatem & apparatum terribilem maximus timor est: opinionem de singulis, qua intolerabilia creduntur, eximere metuenti oportet. Et contra *metum* quidem *Inopiæ* siue *Paupertatis* nihil erit, quod dici queat neruosiùs iis, quæ ex diuinis libris peti solent, quamuis neq; ethnicorum rationes non præsentes ad medendum vires habeant, quas, vt alios omittam, apud Senecam videre potes epist. XVII. & LXXX. & Consolationis ad Heluidiam numero IX. & XII. & apud Muretum, qui in IIX. libri I. Ethicorum Aristotelis non minùs breuiter, quàm eleganter, quæ ad commendandam paupertatem dici possunt, collegit: quo etiam pertinet curiosum rerum necessariarum & superuacuarum examen, quod quomodo institui rectè debeat, ab eodem Seneca docemur epist. CX. & CXIX. De *Morbo* insignis est eiusdem Senecæ disputatio epist. LXXVIII. Contra *Mortis* timorem primo Tusculanarum abundanter & copiosè à Cicerone disputatur, quibus quæ habet Seneca extremo libro sexto naturalium quæstionum & extrema epistola CII. adiungi possunt.

Aduersus Metum Laboris, qui ex Mollitie seu Virtutis dissolutione plerumque prouenit, operæ pretium fuerit Musonii locum ex Stobæi sermone XXIX. hic referre. *Vt facilius* (inquit) & promptiùs labores illos sustineamus, quos Virtutis & Honestatis gratia subituri sumus. Hæc animo reputare secum vtile fuerit: videlicet, quàm multa tolerent aliqui propter malas cupiditates, vt qui amant luxuriosè. & quantum sufferant alii lucrandi caussa. Item, quanta patiantur nonnulli, dum gloriam venantur. Et quod omnes isti sponte tolerent ærumnas omnes. An non igitur iniquum foret, illos quidem talia pro nulla re honesta sustinere: nos verò honestatis gratia & declinandæ caussa malitiæ (quæ planè pestis est vitæ nostræ) tum comparandæ Virtutis (quæ nobis bonorum omniũ dux est) non quosuis labores promptè subire. Atqui verbis exprimi non potest, quanto præstantius sit eniti, vt cupiditates propriæ castigentur, quam de aliena vxore potienda laborare, item frugalitatem exercere, quam in comparandis pecuniis occupari: & operam dare, vt sis ambitiosus, quam gloriæ acquirendæ caussa multis molestiis negotiis implicari: præterea ab omni inuidia immunem se præstare quanto sit satius, quàm modum quærere, quo quis illi noceat, cui inuidet: & amicos sibi veros vt conciliet potiùs laborem sumere, quam quibusdam nomine solùm amicis, vt adulatores faciunt, inseruire. In summa, cùm labor

labor omnibus hominibus necessarius sit, tum his qui præstantius aliquid, tum illis qui vilius quippiam desiderant: absurdissimum est, eos qui præstantioribus operam dant, & magna præmia sperant, non multò in laboribus promptiores esse. Circumforanei quidem præstigiatores pquam difficilia negotia sustinent & de vita sua periclitantur, alii quidem saltantes supra gladios præcipitati, alii supra funem ambulantes in sublimi, alii tamquam aues per aërem volantes, in quibus si contingat error, mortis periculum est. omnia tamen ista mercedis exiguæ causa faciunt: nos verò nihil sustinebimus laborum pro vniuersa simul felicitate? Nullus enim alius finis est bonitatis morum, quàm benè beateque in posterum viuere. Adhæc meritò natura quorundam animalium consideranda est, quæ nos planè potest ad capessendos labores hortari. Coturnices enim & galli cùm neque virtutis, vt homo, nec honesti justiq; notitiam habeant, neque laboris quicquam hisce comparandis insumant, pugnando tamen inuicem & mutilari sustinent, & mortem potiùs obeunt, quàm superari se permittant. At quanto magis nos conuenit patientes ac tolerantes esse, cùm honestas ob caussas ærumnis & laboribus fatigamur: vel ad opem ferendam amicis, vel juuandam ciuitatem, vel pro vxoribus & liberis pugnandum. Ceterùm vt boni, iusti & temperati sint, quæ res omnium est maxima & præcipua

nullis mortalium citra laborem datur. Hinc inducor, vt dicam, quod is, qui laborem recusat, ferè se ipsum condemnat, tamquam bonis omnibus indignum: quicquid enim est vbique boni, labore comparatur.

Contra Doloris Metum secũdum Tusculanarum legere vehementer profuerit, quo continẽtur ea, q̃ ad contemnendum & tolerandũ dolorem cruciatumque adferri possunt; cuiusmodi sunt ista: *Inter* omnes tam indoctos, quàm doctos, hoc constare, virorum esse fortium, & magnanimorum, & patientium, & humana vincentium, toleranter dolorem pati: nec quemquam fuisse, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret: turpe igitur esse, quod & postulatur à fortibus, & laudatur cum sit, id aut extimescere veniens, aut non ferre præsens. *Deinde*, cùm Virtus à viro nomen habeat, viri autem proprium maximè sit Fortitudo, cuius munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio: vtendum esse his, si virtutis compotes, vel potiùs si viri volumus esse. *Adhæc* cùm pueris spartæ solemne fuerit sic se mutuò verberibus accipere, vt multus è visceribus sanguis exiret, nonnumquam etiam ad necem; quorum tamen non modò nemo exclamauit vmquam, sed ne ingemuit quidem: dubitationem non relinqui, quin ratione dolorem vincere possimus. Quid enim? inquit Cicero, hoc pueri possunt, viri non poterunt? & quod mos valet, ratio non

va-

valebit? *Postremò*, cum animus natura sua in duas partes siue functiones tributus sit, quarum altera, quæ rationis est particeps, expertem alteram, in qua inest molle quiddam, demissum, humile, eneruatum quodammodo & languidum, regere & coercere debet, eamque si te lamentis lacrimisque muliebriter dedat, vincire & constringere: negari nullo modo posse, quin natura ipsa (quæ nihil habet præstantius, nihil quod magis expetat, quàm honestatem, laudem, dignitatem, decus; nihilque tam tætrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius, quàm turpitudinem) patienter à nobis perferri dolorem postulet. Hinc igitur perspicuum est, eum, qui metu alium exsoluere & liberare cupiat, ipsius metus turpitudinem, vt diximus, ante omnia in mentem timido reuocare. Hæc enim cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solùm animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit. Verum tamen si huc accedant & exempla eorum, qui constanter acerbissimos etiam cruciatus pertulerunt, fieri vix potest, vt non metus omnis vel penitùs euellatur, vel sedationem sentiat. Hoc quodam quasi compendio facit Seneca: *Ex istis* (inquit) quæ terribilia videntur, nihil est inuictum. Singula vicere iam multi: ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, exsilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et

nos vincamus aliquid. Rursus ista, quæ vt speciosa & felicia trahunt vulgum, à multis & sæpe contempta sunt. Fabricius diuitias imperator reiecit, censor notauit. Tubero paupertatem & se dignam & Capitolio iudicauit, cum fictilibus in publica cena vsus, ostendit debere his hominem esse contentum, quibus dii etiamnum vterentur. Honores repulit pater Sextius, qui ita natus, vt rempub. deberet capessere, latum clauum, Diuo Iulio dante, non recepit. Intelligebat enim, quod dari posset, & eripi posse. Nos quoque aliquid ex his faciamus animosè. Simus inter exempla. quare deficimus? quare desperamus? quicquid fieri potuit, potest. Nos modò purgemus animum, sequamurque naturam, à qua aberranti cupiendum timendumque est, & fortuitis seruiendum. Licet reuerti in viam, licet in integrum restitui. Restituamur, vt possimus dolores, quocumq; modo corpus inuaserint, perferre, & Fortunæ dicere: Cum viro tibi negotium est; quære, quem vincas. His sermonibus & similibus lenitur illa vis vlceris. *Eiusdem* & hęc de Mucio Scæuula huc referre non ab re esse existimo: *Mucius* ignibus manum imposuit. Acerbum est vri: quanto acerbius, si id te faciente patiaris? Vides hominem non eruditum, nec vllis præceptis contra mortem aut dolorem subornatum, militari tantùm robore instructum, pœnas à se irriti conatus exigentem. Stetit hostium flammarumque

que contemptor, & manum suam in hostili foculo distillantem perspectauit, nec antè remouit nudis ossibus fluentem manum, quàm Porsenna, cuius pœnæ fauebat, gloriæ inuidit, & ignem inuito eripi iussit. Facere aliquid in illis castris felicius potuit, nihil fortius. *Hoc* etiam non exiguas ad sanandum vires habet, si quis eum, qui metuit, admoneat, ne metu impendentis mali, si vel maximè intolerabile videatur, dolorem suum ipse duplicare & congeminare velit. quod si enim eueniat illud, quodcumque impendet, satis dolebit ex præsenti: de futuro se ipsum cruciare dementis est. Nihil, inquit, Seneca, nec miserius est nec stultius, quàm semper timere quæ ista dementia est, malum suum antecedere? Denique vt breuiter includam, quod sentio, & istos satageos ac sibi molestos describam tibi, tam intemperantes in ipsis miseriis sunt, quàm ante illas. Plus dolet, quàm necesse est, qui ante dolet, quam necesse sit. Eadem enim infirmitate dolorem non ęstimat, qua non exspectat. Sed sine dubio ita se res habet, vt idem affirmat Seneca: Prouidentia maximum bonum conditionis humanæ in malum versa est. Feræ pericula, quæ vident, fugiunt: cum effugêre, securæ sunt. Nos & venturo torquemur & pterito. Multa bona nostra nobis nocent. Timoris enim tormentũ memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum pręsentibus miser est. *Sed* præstat eiusdẽ epistolam XIII. consu-

lere, qua hortatur, vt vt *primum* omnium discipiatur, an certa argumenta sint venturi mali. Nam plerũq; suspicionibus laborari, & famæ credi, ac propterea rectum esse, dum quis de futuro nondum satis certus est, meliora sibi interim proponere & ominari, &, si nihil aliud, tempus certè hoc pacto lucrari. Si enim non veniat malum istud, frustrà doletur. Si veniat, bis doletur, & plusquam necesse est, velut modò dictum. *Deinde*, si metum omnino excludere nequeamus, vitium vitio repeti, & spe metum temperari iubet, non minùs enim sæpe ea eueniunt, quæ non speres, quàm quæ metuas. Ergo & spem, inquit, & metum examina, & quoties incerta erunt omnia, tibi faue; crede, quod maius: si plures habebit sententias metus, nihilomin⁹ in hanc partem potiùs inclina, & perturbare te desine. *Tertiò*, honorem & decus ex tolerato malo cogitari iubet: Alius (inquit) dicat: Fortasse hoc eueniet. Tu dic: Quid porrò, si veniet? Videbimus vtrũ veniet, fortasse pro me veniet, & mors vitam honestabit. Cicuta magnum Socratem fecit. Catoni gladium assertorem libertatis extorque; magnam partem detraxeris gloriæ. *Hæc* ibi Seneca disputat: quæ tamen iis tantum, qui vel nihil, vel parum in Philosophia profecerunt, videntur adhibenda: neque his tamen omnibus. Sunt enim ex imperitioribus, quibus hæc medendi ratio, qua meliora proponere iubentur, adeò non prodest, vt contrà persuadendum ipsis sit, ea,

quæ

quæ impendent, mala non tam posse euenire, quàm non posse nòn euenire, hoc est, necessariò accidere. Hæc medicandi metus ratio à Seneca principio libri sexti naturalium quæstionum nobis præmonstratur: vbi cùm multis exemplis docuisset, mille viis mortem ad nos peruenire posse, neque homines tantùm, sed etiam vrbes orasque terrarum, & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venire, nullumque aduersus pestem & exitium nobis effugium patere, sic tamdem concludit: Quid ago? solatium aduersus pericula dare promiseram, ecce vndique timenda denuncio. Nego quicquam esse quietis æternæ, quod & perire non possit & perdere. Ego verò hoc ipsum solatii loco pono, & quidem valentissimi: quandoquidem sine remedio timor stultus est. ratio terrorem prudentibus excutit: imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc igitur generi humano dictum puta, quod illis subita captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est:

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Eamdem rationem ostendit epistola quincta: Apud Hecatonem nostrum (inquit) inueni, cupiditatum finem etiam ad timoris remedia proficere. Desines, inquit, timere, si sperare desieris. Extremo etiam libro secundo naturalium quæstionum, vbi tonitru, fulmenque minime metui debere docet, non alia ratione vtitur. Iratis (inquit) diis propitiisque moriendum est animux

ex ipsa desperatione sumatur. Ignauissima animalia quæ natura ad fugam genuit, vbi exitus nonpatet, tentant fugam corpore imbelli. Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeq; violentius semper ex necessitate, quam ex virtute corrigimur. Maiora, aut certè paria conatur animus magnus, ac perditus. Cogitemus, nos, quantum ad mortem, proditos esse: & sumus. Quid ergo? non tibi timidissimus omnium videtur & insipientissimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? nonne contemneres eum, qui inter perituros constitutus, beneficii loco peteret, vt vltimus ceruicem præberet? Idem facimus. magno æstimamus, mori tardius.

CAP. CXLIV.

Porrò ad Lætitię seu Voluptatis, itemq; Cupiditatis siue Libidinis curationem tali ferè oratione vtitur Cicero: Sint sanè ista bona, quæ putantur, honores, diuitiæ, cetera: tamen in eis ipsis potiundis exsultans gestiensque lætitia, turpis est. Vt si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Eodem enim vitio est effusio animi in lætitia, quo, in dolore, contractio; eademq; leuitate cupiditas est in appetendo, qua lætitia in fruendo: & vt nimis afflicti molestia, sic nimis elati lætitia, iure iudicantur leues. Et cum inuidere ægritudinis sit, malis autem alienis voluptatem capere, lætitiæ: vtrumq; immanitate

nitate & feritate quadam proponenda castigari, solet. Atque vt non fidere decet, timere non decet: sic gaudere decet, lætari non decet, quoniam docendi caussa à gaudio lætitiam distinguimus. Illud iam supra diximus, contractionem animi rectè fieri nunquam posse, elationem posse. aliter enim Næuianus ille gaudet Hector

Lætus sum laudari me abs te, Pater, laudato viro:

aliter ille apud Trabeam Chærea:

Lena delenita argento nutum obseruabit (meum
Quid velim, quid studeam: aduenient digito impellam ianuam:
Fores patebunt: de improuiso Chrysis me vbi adspexerit,
Alacris obuiam mihi veniet, complexum ex-
Mihi se dedet —— (optans meum,

quam hæc pulchra putet, ipse iam dicet:

—— fortunam ipsam anteibo fortunis meis

Hæc lætitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre. Et vt turpes sunt, qui efferunt se lætitia tum, cum fruuntur Venereis voluptatibus: sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. *Hac Cicero*; quibus amoris & Iræ curationem statim subiungit, quod istæ ex omnibus Cupiditatis siue Libidinis partibus sint vehementissimæ maximæque periculosæ, quarum etiam remedia cæteris specie-

ſpeciebus prodeſſe poſſint, Et *Amorem* quidem ſic medicandum cenſet, vt oſtendatur *primùm*, quantus ſit furor amoris, quæ leuitas & flagitia, quamq; plenus ſit ſolicitudine, cura & ſuſpirio: *Deinde* demonſtrandum, nullum amorem eſſe, niſi opinabilem, niſi judicio ſuſceptum, niſi voluntarium: etenim ſi naturalis amor eſſet, & amarent omnes, & ſemper amarent, & idem amarent, neq; aliū pudor, aliū cogitatio, alium ſacietas deterreret. *Tertiò*, illud, ꝙ quis cupit, oſtendendū eſt, quā leue, quā contemnendū, quā nıl ſit omninò, quā facile vel aliunde, vel alio modo pfici, vel omninò negligi poſſit. *Quartò*, amantē docet abducendum eſſe nonnunquam ad alia ſtudia, ſolicitudines, curas, negotia, & loca denique, ſicut ægrotis non conualeſcentibus fieri ſolet. *Poſtremò*, nouo quodam amore veterem amorem, tamquam clauum clauo, quamuis ex aliorum potiùs, quàm ex ſua ſententia, eiiciendum monet. His ergò ſi addantur, quæ pulcherrimis verſibus Lucretius libro quarto canit, quęque de Remedio amoris Ouidius, non in dedocendo, quam docendo amore ineptior magiſter, præmonſtrat, operæ pretium futurum exiſtimem. De *Ira* autem medicina hæc ferè à Cicerone præcipiuntur: primùm turpitudinem eius inſaniæ vicinam oſtendi exemplis fratrum iubet, qui iræ impulſu inter ſe jurgantur, eoque tamdem furoris procedunt, vt alter alteri mactatos eius liberos epulandos anteponat. Deinde

de iratis ſubtrahere eos iubet, in quos impetum conantur facere,dum ſe ipſi colligant: aut rogare, vt ſi quam habent vlciſcendi vim, differant in tempus aliud, dum deferueſcat ira. Tertiò, monſtrare iis præcipit,non eſſe iram naturalem, ſed totam opinabilem ac voluntariam, cuius rei quatuor rationes ſubiungit, vnam, quia fiat ira repugnante ratione: alterã,q̃a alter altero magis ſit iracundus: tertiã, quia ſæpe vlciſcendi libido, antequam vlciſcatur, finem habeat: quartam denique, quia multos eorum, quæ per iram fecerint, pœniteat. Sed qui plura & accuratiora videre, & ſi vſus veniat,irato adhibere cupit,Senecæ libros de Ira, itemque Plutarchum περὶ ἀοργησίας legere poteſt, & Mureti quoque ad quinctum caput quarti Ethicorum Ariſtotelis commentarium, quo ſummatim & capitulatim quæcumque vtiliter hanc ad rem dici poterant, complexus eſt. De aliis Cupiditatis & Voluptatis partibus propè ſuperuacuum fuerit quicquã adiicere,cùm ex his, quæ attulimus, facilis ſit earum curatio. De effectis autem Perturbationum,hoc eſt, de morbis & offenſionibus ſic pleni ſunt bonorum auctorum libri, vt neminem ferè medicina eorum latere poſſit. quis enim tam malè in literis verſatus eſt, quin contra Auaritiam & Ambitionem aliquid legerit? quare hoc tantùm monendi ſunt Philoſophiæ Moralis ſtudioſi, vt Plutarchi de diuitiarum cupiditate libellum non negligant: quos autem ſcripſit de

Cu-

Curiositate, deque Garrulitate, eos quam studiosissimè legendos & ediscendos sibi nouerint.

CAP. CXLV.

Atque ista quidem de vno Medicinæ genere, quæ scilicet à morbis & vitiis obsessum animum vel occupatum liberat, dicta sint: sequitur, vt de illis remediis, quæ eisdem morbis & affectibus accessu ad animos prohibent, pauca quædam proponamus. Sunt autem remedia illa duûm generum: alia quidem extra nos, alià rursum in nostra voluntate posita. *Extra nos* est magistrorum & parentum cura, qua in nobis educandis instituendisque vtuntur: qui animaduersa paruulorum natura, quamque humidi, aridi, frigidi & feruidi mixturam in corpore habeant, exinde educare eos debent. Iracundos enim feruidi mistura facit. quare calidis ingeniis Seneca vinum subtrahendum putat, Platonem secutus, qui & ipse vinum pueris negabat, & ignem vetabat igne incitari. Cibis etiam non implendi sunt, exercendi autem laboribus citra lassitudinem: lusus eisdem permittendus. Humidioribus, sicciotibus & frigidis non est ab Ira periculum, sed maiora vitia metuenda sunt, pauor, difficultas, & desperatio, & suspiciones. Mollienda itaque fouendaque talia ingenia & in lætitiam euocanda sunt. Sed quia aliis contra alias procliuitates remediis vten-

vtendum eſt, diligenti obſeruatione res indiget, ne vel indulgentia nimis aſſurgant animi, vel ſeruitute comminuantur, quare modo ſtimulis, modò frenis vtendum erit; cædendi numquam: vt æqualibus ſint familiares, iisque nec iraſcantur, nec victis inſultent, ſedulò exhortandi: ab otio & deliciis remouendi: aſſentatoribus non permittendi: iratis mos numquam gerendus: interdum tamen quod flentibus negatum fuerat, quietis offerendum: pædagogi & magiſtri placidi ipſis dandi: perperam facta eis exprobranda: victu tenui alendi, neque pretioſius, quàm æquales, veſtiendi. Hæc in pueris obſeruanda monet Seneca. Quæ autem in nobis ipſis inſunt, ea ferè omnia ab vno illo Epicteti præcepto dependent: Memento, ſi ea, quæ natura ſeruiunt (quæ ſuprà diximus eſſe omnia corporis & fortunæ bona) libera putaueris, & aliena pro tuis habueris: fore vt impediaris, lugeas, perturberis, deos hominesque accuſes. Sin id ſolum tuum exiſtimaueris, quod tuum eſt; aliena verò, vt ſunt, aliena: te nemo coget vmquam, nemo impediet, neminem accuſabis, nihil ages inuitus, nemo te lædet, inimicum non habebis: neque enim vllam calamitatem accipies. Noſtrum igitur eſt, ea tantùm appetere & auerſari, quæ in noſtra ſunt poteſtate, cuiusmodi quaslibet actiones noſtras eſſe diximus. quare ſimulac ſpecies aliqua vel viſum nobis offertur, quæ rem quampiam minùs iucundam

no-

nobis repræsentet, sustinere assensum debemus, & cogitare, visionem hanc esse tantùm, non rem ipsam: tum regulas visa judicandi adhibebimus, quæ sumuntur vel à natura visorum, num scilicet ad animi, corporis, fortunæue bona pertineant; item ad vtilitatem ne, an ad voluptatem referantur; fieri ne possint, an secus: aut à Dei cum primis & prudentium hominum auctoritate aliquid probantium aut improbantium, magnificantium aut negligentium. Sed homini propria regula, qua nobis communiter in omnibus est vtendum, illa est, quæ pendet à diuisione rerum nostrarum & alienarum. Si enim res, quæ visione tibi offertur, aliena sit, nec tuæ potestati subiecta, in promptu esse debet, eam ad te nihil attinere. Deinde etiam faciendum est nobis, quod sapienter monet Cicero, vt nihil in malis ducamus, quod sit vel à diis immortalibus, vel à natura parente omnium constitutum. Adhæc cogitanda & adhibenda, quæ nobis à natura contra visionum deceptiones data sunt, de quibus sic præcipit Epictetus: Quicquid inciderit, in eo memento ad te couersus inquirere, qua facultate sis ad vsum eius instructus. Si quam formosam videris, ad eam rem temperantiæ facultas in promptu erit. Si labor obiectus fuerit, tolerantiam reperies. Si conuicium, patientiam inuenies. quod si te ita consuefeceris, visis non obtemperabis. In hoc autem facultatum nostrarum vsu paullatim à paruis ad maiora veniendũ

est.

est. Sic enim nos docet sapientissimus Epictetus: A paruis auspicare. Oleum effunditur? villum surripitur? subiice tibi. Tanti vænit tranquillitas, tanti constantia: gratis verò nihil acquiritur. Illud porrò memori mente semper nobis tenendum est, quod Seneca monet: si vis omnem solicitudinem exuere, quicquid vereris, ne eueniat, euenturum vtiq; propone. Hanc verò prouisionem & præmeditationem Epictetus similiter à paruis exordiri iubet: Cũ, inquit, famulum vocas, fieri posse cogita, vt præsto non sit: & vt sit, nihil agat ex animi tui sententia. Neque verò ei tam bene sit, vt tuarum pertubationum habeat ille potestatem. Postquam verò iam profecimus, altiora nobis agitanda animis sic demonstrat: Mors & exsilium & omnia, quę in malis habentur, ob oculos tibi quotidie versentur, omnium verò maximè mors, sic nihilumquam humile cogitabis, nec impensè cupies quicquam. Sed qui pulcherrima & valentissima huius rei præcepta desiderat, Senecæ nostri adire poterit epistolas XCVIII. & CVII. librum de tranquillitate animi numero XI. itemque Consolationem ad Marciã numero IX. Cicero quoque Tusculanarum tertio quantum virium habeat prouisio & præparatio animi ac præmeditatio ad excludendas perturbationes, egregiè contra Epicurum demonstrat, & cur nec opinata, improuisa & subita mala, maiora videri plusq; negotii exhibere soleant, duas hasce caussas red-

dit:primum,quod quanta ſint, quæ accidunt, & qualia,cum repentè accidunt,conſiderandi ſpatium non datur:deinde, cum videtur præcaueri potuiſſe, ſi prouiſum eſſet, quaſi culpa contractum malum ægritudinem acriorem facit.

CAP. CXLVI.

CÆterum vt vſus horum præceptorum magis fiat perſpicuus, ea quæ de excludendo Metu,& Ira Seneca nobis oſtendit, conſiderare non ab re fuerit. Quoniam igitur vel populus eſt,quem timere debeamus, vel ij,qui in populo primores ſunt & eminent potentia, de vtriſq; conſiderandum eſt, quomodo quam minimum nobis incommodare poſſint.Potentium igitur, vel eorum, qui apud aliquem potentem potentes ſunt,amicitiæ applicare ſe expediet: applicare,inquam,non implicare, ne pluris remediū, quàm periculum conſtet. Sed quia hos omnes habere amicos operoſum eſt; ſatis eſt, inimicos non habere. Itaque ſapiens numquam potentium iras prouocabit: immò declinabit, non aliter, quàm in nauigando procellam. ſic tamen nocituram potentiam vitat, vt primùm caueat, ne vitare videatur. Pars enim ſecuritatis & in hoc eſt, non ex profeſſo eam fugere: quia quæ quis fugit,damnat. Nihil debui minus,ait ille apud Quintilianum ſcholaſticus, quàm in metu, ipſum metum prodere. Populum ſiue vulgum non timebit,qui primùm cauſſas remouerit,quę in perniciem eius inſtigare alios poſſunt,hoc eſt, Spem,Inuidiam,Odium,Timorem &Contem-

ptum. *Spem* improborum vitabit, si nihil habuerit, quod cupiditatem alienam & improbam irritet, si quàm minimum sit in corpore ipsius spoliorum, si non habuerit, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. nemo enim ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: plures computant, quàm oderunt. Atq; hæc ipsa est caussa, cur alibi scribat Seneca: Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio: magnus est ille, qui in diuitiis pauper est: sed securior, qui caret diuitiis. *Inuidiam* verò sic effugiet, si nihil concupiscat, vnde rixa est inter competitores, si se non ingesserit oculis, si bona sua non jactauerit, si sciuerit in sinu gaudere. *Odium* ex offensa sic vitabit, neminem lacessendo gratuito, à quo sensus communis ipsum tuebitur: fuit enim hoc multis periculosum. quidam odium habuerunt, nec inimicum. Illud ne *timeatur*, præstabit ipsi & fortunę mediocritas, & ingenii lenitas, cùm eum esse homines scient, quem offendere sine periculo possint. *Contemptus* incommodum non amicitiæ tantùm potentium discutiunt, sed & Philosophiæ studium. Hæ enim literæ, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt, iisq; ab omnib. artib. etiam apud pessimos, honor est, quam in tantum conualescet nequitia, numquam sic contra virtutes coniurabitur, vt non Philosophiæ nomen venerabile & sacrũ maneat. Ceterũ Philosophia ipsa tranquillo

modesteq; tractanda est: nec conturbabit sapiēs publicos mores, nec populum in se vitæ nouitate conuertet. Multis fuit periculi caussa, insolenter iactata Philosophia & contumaciter. Vitia tibi detrahat, non alii exprobret, nō abhorreat à publicis moribus: nec ita agat, vt quicquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompa sine inuidia. Intus omnia dissimilia sint, frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga, ne sordeat quidem. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quā vulgus, non vt contrariam. Alioqui quos emendari volumus fugamus & à nobis auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint omnia. Hoc primum Philosophia promittit, sensum communem, humanitatem & congregationem, à qua professionis dissimilitudo separabit. Videamus, ne ista, per quæ admirationem parare volumus, ridicula & odiosa fiant. Nempe propositum nostrum est, secundum naturam viuere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse mūdicias, & squallorem appetere, & cibis non tantum vilibus vti, sed tætris & horridis. Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriæ est: ita vsitatas & non magno parabiles fugere, demētiæ est. Frugalitatem exigit Philosophia, non pœnam. Potest aūt esse non incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores, & publicos. Suspiciant omnes vitam nostram, sed & agnoscant. Quid ergo? Eadem faciemus, quę

ceteri? nihil inter nos & illos intererit? Plurimum. Dissimiles esse nos vulgò sciat, qui inspexerit propiùs. qui domum nostram intrauerit, nos potiùs miretur, quàm suppellectilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento: nec ille minor, qui argento sic vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse diuitias. *Deinde* autem ad excludendum tam vulgi, quàm potentium metum, futuras secum miserias, quod Theseus Euripidæus facere se dicebat, non solùm commentari & meditari secum, sed etiam periculum eorum, quoad eius fieri potest, vltrò & sponte facere profuerit. Οἱ γὰρ ἑκούσιοι πόνοι τὴν τῶν ἀκουσίων ὑπομονὴν ἐλαφροτέραν παρασκευάζουσι, vt apud Stobæum ait Democritus. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc secuti sunt magni quidam viri, qui omnibus mensibus paupertatem imitati, propè ad inopiam accesserunt, ne umquam expauescerent, quod sæpe didicissent. Non est nunc quod existimes me ducere te ad modicas cenas & pauperum cellas, & quicquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit. Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus ac sordidus. Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus: vt non lusus sit, sed experimentum. Tunc mihi crede, exultabis dupondio satur, & intelliges ad saturitatem non opus

esse fortuna: hoc enim, quod necessitati sat est, debet etiam irata. Non est tamen, quare tu multum tibi facere videaris: facies enim, quod multa millia seruorum, multa millia pauperum faciunt. Illo nomine te suspice, quod facies non coactus. Tam facile erit tibi illud pati semper, quàm aliquando experiri. Exerceamur ad palum, & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securiùs diuites erimus, si sciuerimus, quàm non sit graue pauperes esse. Et ista quidem de *Metu* ad animum non admittendo dicta sint.

Iram verò excludemus, si contra caussas eius pugnare fortiter velimus. Caussæ autem sunt, quod & iniuriam nobis factam; & iniquè quidem factam esse credimus: idque vel quia non meruerimus, vel quia non sperauerimus. Quare fugienda nobis est credulitas & curiositas, minimeq; indulgendum suspicionibus, si quæ nobis nuncientur: sin autem ipsi quædam videam°, natura & voluntas facientis excutienda est, ne forsan quauis alia de caussa potiùs, quàm quod nocere nobis vellet, ea fecerit: minimis rebus nõ exacerbati, imprudentiæ alienæ ignoscentes, & simplicissimè omnia interpretantes in nos ipsos frequenter respiciamus, an similia & ipsi fecerimus. Perpetuò etiam, futurum, vt ab aliis lædamur, proponere nobis debemus; & si omninò nocere quis nobis voluit, initiis iræ, quæ ferè præcedere eam solent, maturè occurramus, aut

saltim

ſaltim occultemus iram & ſupprimamus, in memoriam etiam reuocatis cùm eorum, qui tolerarunt iniurias, exemplis, tum magnorum virorum ſententiis: cogitemus ſimul, quàm fœda & turpis res ſit tàm iraſci, quàm nocere, quantumque ſæpe ira ſecum trahat periculi, quamque nihil in vltione voluptatis inſit. Æſtimanda etiã nobis eſt eius, qui læſit, conditio; ſit ne potentior nobis, an imbecillior. Si imbecillior eſt, parcamus illi: ſi potentior nobis, ſi etiam natura ad iram procliuiores ſimus, placidorum nobis hominum conſuetudo concilianda fuerit: ſeria ſtudia, multa ac difficilia negotia, fames, ſitis & laſſitudo vitanda: ante omnia verò cogitandum, quantò ſit glorioſius, iis, qui meriti ſunt, non iraſci, quam eoſdem vlciſſi: neque vllo modo, ne ob neglectas neque vindicatas iniurias ignaui ac timidi vulgo videamur, extimeſcendum eſt. Conſcientiæ ſatisfiat, inquit Seneca, nihil in famam laboremus: ſequatur vel mala, dum benè merearis. At vulgus animoſa miratur, & audaces in honore ſunt: placidi pro inertibus habentur. Primo forſitan adſpectu, ſed ſimulac æqualitas vitæ fidem facit, non ſegnitiem illam animi eſſe, ſed pacem, veneratur idem illos populus colitque. Sed longum nimis ſit, ſi quæcumque Seneca tribus illis de Ira libris quaſi diuinitùs docet, huc excerpta comportare velim: bonum itaque factum, vt ad ipſum viſat lector,

grauissimisq; ipsius sententiis maximo suo aliorumq; bono vti condiscat.

CAP. CXLVII.

QVoniam verò de Parænetice Philosophię ea parte, quæ morbis & affectionibus animorum medetur, satis iam dictum est, de altera parte, quæ præceptis *Officia* & *actiones* humanas disponit, itidem videamus. Et *Officii* quidem definitionem suprà dedimus (*Rectum* scilicet quod est & ex virtute gestum, esse Perfectum Officium: *Medium* verò, cuius cur factum fuerit, ratio probabilis reddi potest) hic autem de præceptis Officii agendum est, quæ ad vnam hanc regulam omnia exigere iubet Epictetus: *Omnia officia in vniuersum mutuis habitudinibus esse metienda.* Habitudinem autem siue σχέσιν (quam aliis vel affectionem, vel habitum, vel respectum, vel relationem appellare placet) vocat Ordinem quemdam inter se & mutuum respectum seu naturalem, siue voluntarium, similes aut dissimiles coniungentem vel dissociantem. Quòd vt perspicuum magis reddatur & apertum, *Habitudinis* partes siue species hoc diagrammate complecti visum est:

Habi-

CAP. CXLVII.

- *Habitudo alia est.*
  - *Naturalis vel*
    - *Coniungens*
      - *Similes, vt fratres; quorum alter altero definitur, vt: frater est fratris frater.*
      - *Dissimiles, vt patrem & filium.*
      - *Contraria, vt dextrum & sinistrum.*
    - *Disiungens.*
      - *Similes, vt alienos. nam alienus est alieni alienus.*
      - *Dissimiles, vt hunc & superiorem annum.*

Voluntaria

- *Coniungens*
  - *Similes, vt amicos, nam amicus est amici amicus.*
  - *Dissimiles, vt docentem & discentem, caussam & effectum.*
  - *Contrarios, vt ementem & vendentem.*
- *Disiungens*
  - *Similes, vt inimicos. Sunt enim reuera voluntatibus similes: & est inimicus inimici inimicus.*
  - *Dissimiles, vt persequentem & fugientem.*

Media & mixta coningens

- *Similes, vt vicinos, ciues, hoſpites.*
- *Diſſimiles, vt*
  - *Virum & vxorem: quorum coniunctio partim naturalis eſt, partim voluntaria.*
  - *Magiſtratum & ſubditum: quorum coniunctio partim eſt naturalis, quia natura præſtantius deteriori imperat: partim voluntaria, cùm diuites ex quodam pacto imperant, pauperes obediunt: partim deniq; mixta, cùm publicè decretũ fuerit, vt imperent prudentiores.*

Hæ igitur habitudines diligentissimè à nob in Officiis obseruandæ sunt. Naturales enim a ternæ sunt, neque deleri possunt: Voluntari verò mutabiles. Quamobrem si amicus noste ob prauam voluntatem fiat nobis inimicus, sol uit habitudinem nostram, nec iam ei debemu amicitiæ officia, cùm eadem voluntate, qua constituta est, habitudo illa tolli etiam possit. Sed si pater improba voluntate fuerit, patris habitudinem non soluit voluntas, cùm sit naturalis, non voluntaria. Est itaque talis affectio erga patrem, non vtique erga bonum patrem: quare etiam si malus fuerit pater, officia tamen, quæ patri debentur, ei præstanda sunt. Ceterùm cuiusmodi Officia singulæ istæ habitudines requirant, id apud Simplicium Epicteti explanatorem compendio quodam, accuratiùs tamen & enucleatiùs apud Clementem Alexandrinum in Pædagogico pertractatum legitur.

Verumtamen non prętermittenda nobis hoc loco ne illa quidem altera eiusdem Epicteti Regula videtur, quam si sequemur, neque ipsi in æstimatione & comparatione rerum ab officio vmquam recedemus, & sine errore quoque diiudicare poterimus, si quando facta ac dicta clarorum ac sapientum virorum audientibus aut legentibus minùs cum officio conuenire videbuntur. Exstat regula illa apud Arrianum libri tertii capite XIV. his verbis comprehensa:

τῶν

τῶν πραττομένων τὰ μὲν προηγουμένως πράττεται, τὰ δὲ κατὰ περίστασιν, τὰ δὲ κατ' οἰκονομίαν, τὰ δὲ κατὰ συμπεριφορὰν, τὰ δὲ κατ' ἔνστασιν. hoc est.

Actionum aliæ suscipiuntur.

- Προηγουμένως *seu præcipuè, ratione scilicet perfecti officii siue Virtutis.*
- Μὴ προηγουμένως *non præcipuè, sed secundario ratione medii officii: eaq; vel*
  - Κατὰ περίστασιν *ratione rerum circumstantium, vt temporis & loci.*
  - Κατ' οἰκονομίαν, *ex certo aliquo consilio. &, vt vulgò dicunt, ex dispensatione.*
  - Κατὰ συμπεριφορὰν, *obsequii caussa aut gratificandi aliisq; se accomodandi studio.*
  - Κατ' ἔνστασιν *ex certo aliquo proposito & vitæ instituto.*

Quæ regula ac velut Actionum formula rectiùs intelligatur (quòd adhuc à nemine tellectum video) sciendum, *Honestum* qu propriè vereque dicitur, in sapientibus esse lis, neque à Virtute diuelli vmquam posse deoque Perfectum quoque officium, præter pientem, in neminem cadere. In illis autem quibus sapientia perfecta non est (quòs Sen *Proficientes* vocat, quorum nonnulli ex medi rum officiorum frequentia similitudinem qua dam gerunt speciemque sapientum) ipsum ill quidem perfectum Honestum nullo modo e potest, similitudines honesti esse possunt: ac pr pterea hæc communia siue *Media officia*, qu quasi secunda quædam Honesta sunt, non sap entum modò propria, sed cum omni hominu genere communia sunt, quæ multi vel ingei bonitate, vel progressione discendi assequunt In hanc sententiam Clemens Alexandrinus sc bit: Omnis actio gnostici seu Sapientis & pe fecti Christiani, rectum & perfectum est offic um: eius autem, qui tantummodo est fideli media dici possit actio, vt quæ ex λόγῳ nondu efficiatur, neque rectè geratur ex scientia. Co rectio tamen in hoc Clementis loco videtur a hibenda, propterea, quòd sapiens Christiani nonnulla etiam μὴ προηγουμένως sæpe faciat, v lut mox ex eodem Clemente de Apostolo Pa lo demonstrabimus. Pro, *Omnis*, itaque dic mus: *Solius gnostici actio rectum & perfectu*

est Officium. Sicut autem Perfectum Officium Virtute, ita Media illa Indifferentibus, vt ex Stobæo discimus, definiuntur: quorum quoniam non vna, sed multiplex est ἀξία siue æstimatio, fit vt horum Mediorum Officiorum non vna, nec simplex sit ratio. Vt autem fons & origo huius Epictetææ diuisionis perspiciatur, age tres illas Æstimationis species, de quibus supra expositum est, consideremus, & quemadmodum ex iis ducantur Officia, peruestigemus. *Æstimatio* alia est *eligens*, siue, duorum Indifferentium Præcipuorum inter se comparatio: alia *Remunerans*, id est, duorum aut plurium Indifferentium seu Præcipuorum siue Reiectorum cum vno compensatio: alia deniq; *Donans*, siue, absoluta vnius rei per se consideratæ æstimatio. *Prima* specie, nimirum eligente, vtetur Sapiens vel Proficiens reipub. tamen valdè vtilis si in magna fame cum possit alteri non sapienti & inutili panem auferre, nequaquam id faciat, sed fame confici malit. Duobus enim propositis officiis, vitæ & iustitiæ conseruatione (iustitia enim non patitur, vt alteri vtilitatis tuæ caussa suum adimas) justitiæ conseruationẽ mauult. *Remunerante* siue *Exæquante* vsus est Cicero, cùm Vatinium hominem deterrimum ciuemq; pessimè de repub. priùs meritum, quem ipse priùs, vt strumam ciuitatis, resecandum iudicarat, vt postea æmulos suos, à q̃bus Clodiũ capitalẽ suum inimicũ verumq; reip. pduellẽ, foueri videbat, vlcisceretur iisq; gratiã refer-

referret, in amicitiam recepit ac defendit. Ci enim hic duo Officia ei proponerentur, Odi mali Ciuis & Vltio æmulorum, quam bono m do & ex vsu reip. persequi viro bono licet : n potuit inter hæc duo Indifferentia seu media c ficia, vtrum potiùs eligeret, satis decernere, d nec tertium, hoc est, munitionem sui (intel gebat enim plurimum reip. vt ipse saluus esse interesse) tandem adiecit, hocque modo M ciuis odium cum æmulorum vltione & mun tione sui compensauit. Sic in defensione Mura næ contra Catonem & Sulpicium cum ex vn parte posuisset: Obsequi Catoni & Sulpicio v ris optimis & amicis: ex altera: Defendere Mu ræ nam virum fortissimum & amicum: adiect ad hoc posterius *reipub. caussa*, quæ viri fortissi mi armis ad exstinguendam Catilinæ coniurati onem indigebat, vnum cum duobus officii compensauit. Ita si quis testamento heres scri batur hac addita conditione, vt nudus in for saltet, ex hac parte in deliberationem veniet conseruatio verecundiæ, ex illa, rei familiari constitutio & stabilimentum: adiecta autem ac hoc posterius insigni vtilitate, verbi gratia, potestate patris ab hostibus redimendi, vel patriæ in obsidione, aut summa fame suppetias ferendi, non dubitabit iam opum acquisitionem cum illa verecundiæ conseruatione exæquare. Fit autem hæc exæquatio seu compensatio non inter officia modò, sed etiam inter Officium & Præter-

terofficium, vt, si depositam pecuniam non reddas ei, qui patriæ bellum indixerit & arma ferat contrà. Fidem enim seruare, officium est: non seruare, præter officium: hæc duo exæquas vtilitatem patriæ ad præterofficium adiungendo. Ita si cui mille aureos mutuos daturum te promiseris, sed eundem mox soluendo non futurum comperias, cùm facere promissum, officium sit; non facere, præter officium: hoc cum illo exæquas, prudenter rem familiarem gerendo nec dilapidando. Ita religioni habendum non est (vt ex Panætii sententia scribit Cicero) nocentem aliquando & nefarium impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Judicis est semper in caussis verum sequi: patroni seu aduocati, nonnumquam verisimile, etiamsi minùs sit verum, defendere. Maximè autem & gloria paritur & gratia defensionibus. Hæc quæ subtimidè Cicero scripsit, neque aliter fecit, dum Gabinium, quem damnatum iri certò prauidebat, in Pompeii gratiam defendit, ne animo ipsius à se alienato & noceret reip. & sibi deinceps bene de eadem merendi facultatem præcideret; hæc, inquam, non nisi hac Stoica Remuneratione seu Exæquatione siue Compensatione defendi possunt. Malum enim ciuem non defendere, Officium est: defendere, præter officium: quæ duo exæquantur, adiuncta ad pręter officium gloria & gratia à suis ciuibus & reipub. faciliùs posthac

iuuandæ facultate: hactenus tamen, vt impu tas sine cuiusquam iniuria aut fraude obtin tur. Tale est, si Sapiens, qui fame conficiat auferat cibum alteri ad nullam rem vtili. Co fert enim inter se vitæ conseruationem, & tr grationé seu violationem iustitiæ (iusti est eni suum cuiq; tribuere, neq; de altero vtilitatis sı causa detrahere) eaq; exæquat respectu vtilitat publicæ, si scilicet is sit sapiens, qui multam vti litatem reip. atque hominum societati, si in vi ta remaneat, afferre possit. Ipsa siquidem natura lex, quæ vtilitatem hominum conseruat & con tinet, decernit profectò, vt ab homine inerti at que inutili, ad sapientem, bonum, fortemque vi. rum transferantur res ad viuendum necessariæ, qui si occiderit, multum de communi vtilitate detraxerit: modò hoc ita faciat, vt ne ipse de se bene existimans seseq; diligens, hanc causam habeat ad iniuriam. Atque harum exæquationum seu Compensationum aliæ fiunt κατὰ περίστασιν ratione scilicet temporis & loci aliarumque rerum circumstantium, (de quibus Posidonium subtiliter egisse colligas ex Cicerone, qui libro XVI. ad Atticum epist. XI. librum eius citat, in in quo sit περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος) quod in eo, qui nudus in foro saltat, quiq; depositum nō reddit, nec facit promissum, videre est. Sæpe enim tempore fit & loco, vt quod plerũq; turpe haberi soleat, inueniatur esse non turpe, aut vt rectiùs dicam *Indecorum*. Vt enim Euripi-

di

di occinebat Plato, referente Stobæo sermone V. Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ, id est, Turpe est turpe, seu sic videatur, siue non videatur. Aliæ κατ' οἰκονομίαν, hoc est, ex certo aliquo consilio, cuiusmodi fuit illud Ciceronis de amplectendo Vatinio, vt æmulis oculi dolerent. Alię κατὰ συμπεριφορὰν siue obsequii causa, quomodo Cicero Gabinium, Pompeio homini potenti & bene merito obsequẽs defendit. Atq; vt ex Sacris quoq; horũ officiorũ exempla afferamus, κατὰ περίστασιν Paullus cùm videret se ex Pharisæorum & Saducæorum manib. aliter ertpi non posse, caussam vinculorum suorũ proclamauit esse fidem de resurrectione mortuorum, vt eos inter se committeret. Κατ' οἰκονομίαν Corinthiis alio etiam fine, quam liberorum quærendorum caussa, conuenire permisit, ne fortè tentarentur à Satana propter incontinentiam, vocatq; ipse suam hanc οἰκονομίαν, *Indulgentiam*. Κατὰ συμπεριφορὰν, Timotheum, vt Iudæis scilicet gratum faceret, circumcidit: qua de re operæ pretium est audire. Clementem Alexandrinum, qui sic scribit: Quicquid habet in mente, id etiam præfert lingua apud eos, qui audire digni sunt, ex assensione & certa sententia simul dicens & viuens. Vera enim simul sentit & dicit, nisi si quando loco medicinæ, vt medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborent salutẽ, mentietur aut falsum dicet, vt aiũt Sophistę. Ecce enim

Timotheum Paullus circumcidit, cùm vocifearetur & scriberet, circumcisionem manu factam nihil prodesse. Judæis enim se accommodans factus est Judæus, vt eos lucrifaceret. Qui ergò propter proximorum salutem, quibus obsequitur, se ad solam demittit συμπεριφορὰν siue obsequium, is nullius omnino simulationis cogetur esse particeps propter periculum, quod iustis ab eorum inuidis impendet. Propter solam autem propinquorum vtilitatem, faciet quædam ἃ οὐκ ἂν προηγουμένως, *quæ non principaliter seu præcipuè* ab eo fierent, nisi faceret propter illos. In quibus verbis obseruandum est, Clementem Stoicæ rationi atq; disciplinæ congruenter docere, Sapientis illam, quæ videtur, simulationem, hoc est, quæ spectat vtilitatem hominum, reuera simulationem non esse, neq; pro Mendacio haberi debere, & Sophistas esse, qui eam Mendacium appellent, quod idem de Stoicis scribit Stobæus. Mentiri sapientem negant, cùm non tam, qui mendacium dicat, quam qui mẽdaciter ac dolo id faciat mentiatur, Mendacio tamen vti variis modis posse credunt absq; assensu, vt in militia contra hostes aut alia necessitate τὸ δὲ εἰρωνεύεσθαι (quod non absolutè *simulare* interpretor, sed illudendi caussa fingere, non juuandi) φαῦλον malum & improbum esse dicunt: οὐδένα γὰρ ἐλεύθερον καὶ σπουδαῖον εἰρωνεύεσθαι, nemo enim liberalis & probus iro-

nia

nia vtitur, *qua scilicet simplicitas veritasq; tollitur, nec proximorum salus quaritur.* In quam sententiam sunt quoque hæc Stoica apud Sextum Empiricum: Habet Sapiens verorum scientiam, & numquam fallit aut mentitur, etiam si falsum dicat, eo quod non ex mala, sed ex bona hoc proferat affectione. Quomodo enim Medicus qui aliquid falsi dicit de ægroti salute, & pollicetur, se aliquid daturum, nec dat tamen, aliquid quidem falsi dicit, non tamen fallit aut mentitur (id enim refertur ad salutem eius, cuius curam gerit (ita etiam Sapiens, hoc ex, qui veri habet scientiam, aliquando quidem dicit falsum, numquam autem fallet ac mentietur, proptea quod non habeat mentem falsò assentientem. Et ista: Est ergò manifestum, quod falsum quoque dicere multum differt ab eo, quod est esse fallacem ac mentiri: quandoquidem illud fit bono animo, hoc autem malo. *Nimirum* ex Stoicorum sententia non ad perfectionem tantùm, sed & ad speciem ipsius mendacii pertinet, alterum capere eique imponere. Magis enim ex natura sermonis esse putant, iuuare homines & societatem humanam, quam eo cogitata sua exponere, siquidem & hoc ad vtilitatem hominum refertur: vnde conficiunt, neque contra naturam esse verborum, si aliud iis, quàm sonent, exprimat sapiens, dummodo aliis ita prosit, neque adeò pro Mendacio ea habenda esse. Quæ si ipsis de verbis largiamur, idem de *simulatione* (quæ vul-

gò dicitur, ſed Stoici eam ſimulationem eſſe abnegant) fatebimur, multoq; commodiùs & expeditiùs quædam ſacrarum loca ſcripturarum tueri poterimus, cuiuſmodi eſt quod Dauidem apud Regem Achis inſaniam ſimulaſſe legimus, vt ſe patriæ ſcilicet incolumem reſeruaret: non multò aliter, quàm Solon apud Athen. ſub Piſiſtrato tyranno furere ſe aſſimulauit. Neq; omni prorſus ſimulatione huiuſmodi (vtamur enim hac voce, vt res ipſa intelligatur, quamuis Stoici eam, vt diximus, ſimulationem negent) carere videtur quod Petrum à Paullo reprehenſum legimus: quam rem non ideò à B. Paulo relatam exiſtimare debemus, quod Petrum peccaſſe videri vellet, ſed potiùs κατ' οἰκονομίαν & ex certo conſilio fidem ſibi & auctoritatem ad Galatas à legalium ſiue Moſaicarum cerimoniarum obſeruatione abducendos hoc pacto quæſiuiſſe eum credimus. Neque enim reprehendi iure poterat Petrus, quòd Judaizaret, cùm Paullus ipſe, quamquam προηγουμένως non Judæorum, vt Petrus, ſed gentium eſſet Apoſtolus, vt Judæos lucrifaceret, non ſemel Judaizauerit. Sed cùm ob ſummam Petri auctoritatem ingens offenſio ac ſcandalum metuendum eſſet, maximè quòd ipſe quoque Barnabas, quamuis gentium eſſet apoſtolus & Judaiſmos illos Concilii Hieroſolymitani decreto ſublatos ſciret, Petri tamen auctoritatem & exemplum potiùs ſecutus, iam Judaizaret, animaduertit Paullus huic

fratrum

fratrum imbecilliorum offensioni nullum, nisi atrox & violentum remedium adhiberi posse. Apertè itaq; Petrum reprehendit, vt *reprehensibilem*, hoc est, cuius exemplum aliis, quamuis sine vlla ipsius culpa, plurimũ noceret: & Petrus, quod aliter nullam malo huic medicinam fieri posse intelligeret & reuera cum Paullo sentiret, nihil contradixit. Sic igitur bis simulauit Petrus, semel Paullus. Petrus, primùm quidem à gentilibus se subtrahens & cibis Hierosolymitano Concilio non prohibitis Judæorum more abstinens, idque *κατ᾽ οἰκονομίαν*, quod iis, qui ex circumcisione essent, hoc est, fidei & curæ suæ præter cęteros commissis, metueret (*eos timebat*, siue, *eis*, vt IV. ad Galatas. *Timeo vos*, id est, vobis, *ne forte sine caussa laborauerim in vobis*) deinde *κατὰ περίστασιν* nihil pro caussa sua iustissima Paullo regerens: Paullus autem, cum Principe Apostolorum, cuius neq; consilium neque factum vllo modo culpari poterat, tantùm propter euentum & ad vtilitatem aliorum palàm expostulans: atq; id quoq; *κατὰ περίστασιν*, quòd tempus scilicet & locus hoc tam calidum & violentum remedium postularent.

Hic autem velim Jurisconsultos nostros aures arrigere, eos inquam, qui hominum ignauorũ omnisq; iuris & æqui imperitorum esse contendunt, legum à maiorib. latarum rationes reddere nescire: adeoque solicitè in singularum rationes inq runt, easq; ex Ethicis Aristot. anxiè peruesti-

gant. qui si meminissent veteres Jurisconsultos Stoicorum potiùs, quàm Aristotelis doctrina imbutos fuisse (id quod non vnus jam politiorum nostræ memoriæ Juris interpretum ostendit) hoc tam superuacuo & irrito labore facilè supersedere possent. Cùm enim lex sit λόγος ὀρθὸς, προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ, ὧν οὐ ποιητέον, id est, rectà ratio præcipiens facienda, & prohibens non facienda, siue, præcipiens officia & neutra, prohibens præterofficia & neutra (nam & *Neutra*, hoc est, quæ neque officia sunt, neque præterofficia, magnam partem lege definiuntur, ad prohibendam litium occasionem, quod Jurisconsultos probè meminisse velim) cùm etiam, in longè plurimis Jurisconsulti illi veteres vel κατὰ περίστασιν, vel κατὰ συμπεριφορὰν, vel denique κατ' οἰκονομίαν responderint: nimium eorum περιεργίαν studiumque prorsus superuacuum esse oportet, qui & *Neutrorum* rationes, quæ nullæ esse possunt, nisi (vt dixi) præcidere occasionem litium, quæ oriri posset, nisi etiam de illis aliquid legibus sancitum foret (quæ præcipua caussa est, cur diuersorum populorum ciuilia & municipalia cura & instituta tantopere inter se discrepent) tanta cum cura peruenantur, & quando neq; loci aut temporis rationem, quam veteres secuti, neque consilium eorum, neque quorum hominum voluntatibus obsecuti fuerint

rint, diuinare possunt, sic tamen se ipsi in reperiendis idoneis legum rationibus exercent. Atque ita apparet, quomodo hæc Juliani & Neratii verba L. XX. & XXI. D. de legibus relata & nequiquam ab interpretibus traducta accipienda sint. *Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. Et ideò rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex iis, quæ certa sunt, subuertuntur.* Sed hac de re, omninoque de genere hoc toto erit, (si Deus volet) in scholis nostris Stoicis disputandi locus: nunc ad propositum.

Officia igitur ex Eligente & Compensante Æstimatione ducta sic se habent. Ex tertia verò specie Æstimationis, quam *Donationem per se* vocari diximus, oriuntur ea, quæ dicunt Stoici fieri *κατ' ἐνστασιν*, hoc est, ex certo aliquo instituto & viuendi genere. Siquidem & hoc secundum naturam est, quod ex assiduo studio longaque exercitatione nobis in naturam conuertit: quod qui sine graui & idonea caussa mutet, indecorè ac propterea non satis secundum naturam (nam id naturale maximè videtur, quod decet maximè) gerere se judicetur, cùm haud quicquam sit, quod tam deceat, quàm omni in re gerenda consilioque capiendo seruare constantiam. Hoc vt fiat planius, meminisse debemus, diuersas esse Personas, quas nobis seu Natura, seu casus, siue propria denique cuiusque voluntas induerit, quæ omnes nobis ita vt decet

gerendæ ſint. *Vna* quæ Naturæ eſt opus, communis eſt, qua rationis ſumus participes & beſtiis præſtamus, quæ excludit omnes actiones homine parum dignas & à rationis præſcripto abhorrentes. *Altera* itidem à natura profecta eſt, quæ propriè ſingulis eſt attributa. Non enim corporum maiores ſunt, quàm animorum, varietates & diſſimilitudines: & alii quidem ad hilaritatem, feſtiuitatem, jocos, ſimulationem, calliditatem: alii ad triſtitiam, auſteritatem, auctoritatem, ſimplicitatem & integritatem à natura facti ſunt, quos, ſi ſuam quisque naturam, non tamen vitioſam, ſequantur, nemo vituperare poſſit: ſed iidem, ſi ad ea, ad quæ facti non ſunt actiones ſuas accommodare velint, *Decorum* parum obſeruare videantur: non aliter, quàm ſi Gallus quiſpiam grauitatem Hiſpanicam adſciſcat, inceſſumque arte componat, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrare patiatur: Hiſpanus contra inquietam Gallorum, procacitatem an agilitatem, & manuum, pedum, capitis, totius denique trunci inquietationem aſſumat. *Tertia* perſona eſt, quam nobis tamquam reipub. membris caſus aliquis impoſuit, quo in genere ſunt regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaque quæ ſunt his contraria. hæc in caſu ſita ſunt & ferè temporibus, plurimumque ſæpe inter ſe diſſidentibus (vt variæ ſunt populorum ac rerumpub. inſtituta) opinionibus hominum guber-

bernantur, vt id demum huius loci *Decorum* videatur, quod cum cuiusque reipub. ac gentis consuetudine & opinione maximè conueniat, id quod facilè intelliget, si qui tantùm, quàm varia sit Nobilitatis ratio, considerare volet. Nam Hispani & Itali Nobilitatem augeri & ornari existimant, si quis Doctoris titulum ac nomen ex Academia aliqua reportet: Germani contrà, etiam illi, qui literis non tincti leuiter, sed benè imbuti sunt, tantum non contaminari polluique se, si Doctores audiant, arbitrantur, vt quidem nunc sunt mores. Fuit enim, cùm etiam nobilissimis Germanorum titulus ille minimè sorderet, priusquam scilicet publicari & pannosissimo cuique atque indoctissimo, addici pretio palàm inciperet. Sic Mercaturam exercere Nobilibus ius fasque est, vbi id reipub. fert vsus atque vtilitas (vtilitate enim publica, quæ *iusti prope mater & æqui* à poeta rectè dicitur, hæc officia, q̃ à membris reip. exiguntur, metiri debemus) sed eadẽ res alibi omnẽ Nobilitatẽ exstinguere non immeritò credit: vt ita maximã huius *Decori*, varietatẽ esse appareat. IV. persona est, q̃ nobismetipsi iudicio nostro & volũtate accommodauim⁹, vt cũ se alii ad Philos. alii ad jus ciu. ad Theol. alii ad Medic. applicant: alii aulas, claustra alii & monasteria sectãtur, ipsarũq; religiosarum faniliarũ in alia alius mauult nomen suũ ꝓfiteri. In his igitur omnibus ita nos gerere debemus, vt contra naturam vniuersam nihil contendamus: ea tamen conseruata propriam naturam, &

& quod non minùs, (immò non numquam plus) quàm natura valet, ciuitatum, in quibus ſumus, leges & conſuetudines, genus denique viuendi à nobis inſtitutum & tempore corroboratum, ſequamur: vt etiamſi ſint alia grauiora atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra aut vtilitatis reipub. (quæ prima putari debet) aut naturæ regula metiamur neque enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit *Decorum* illud, ideo quia nihil decet inuita (vt aiunt) Mineruа, id eſt, aduerſante & repugnante natura. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & vitiorum & bonorum ſuorum iudicem præbeat, vt æquabilitaté vniuerſæ vitæ, tum ſingularum actionum, in qua ipſum *Decorum* conſiſtit, ſeruare queat, quod facere non poteſt, ſi aliorum naturam imitetur, omittat ſuam, aut relicta Profeſſione ſua eam artem aut ſcientiam, quàm minùs teneat, repentè promittere incipiat: id quod hodie non paucos factitare palam eſt. Sic igitur κατ᾽ ἔνστασιν ſe ipſe Cato interfecit, quòd hoc cùm naturam ſuam, tùm vitæ inſtitutum (qua in re propriè ἔνστασις conſiſtit) à ſe requirere judicaret. Catoni (inquit Cicero) cùm incredibilem tribuiſſet natura grauitatem, eamque ipſa perpetua conſtantia roboraſſet, ſemperque in propoſito ſuſceptoq; conſilio permanſiſſet, moriundum potiùs, quàm tyranni

tyranni vultus adspiciendus fuit. Ceteris, qui in Africa & in eadem, in qua Cato, caussa fuerunt, forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod eorum vita lenior & mores fuerant faciliores. Et de natura quidem, quàm ei congruenter facere se judicarit Cato, partim ex illis Ciceronis verbis intelligitur, partim ex Stoicorum sententia sic docet Laërtius: Sapientem ipsum non sine caussa dicunt Stoici & pro patria & pro amicis è vita excessurum, idemque facturum, si acerbiore quodam dolore, si sensuum orbitate, si desperatis morbis laboret. Sed pleniùs & vberiùs eadem tractat apud Ciceronem ipse Cato: In quo plura sunt, quæ secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem sunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium est, è vita excedere. quia igitur & patria & amici ex eorum numero sunt, quæ secundum naturam sunt, ideò si quis aut illis careat, aut vtatur non rectè affectis, huius quamuis sapientis officium erit è vita excedere. Non aliter, quàm è domo exigimur aut vltrò exire jubemur, si locator non accepto pretio habitationis, fores reuellat, tegulam adimat, puteum obstruat: ita etiam hoc corpusculo relegor (ait Bion apud Stobæum) quando quę locauit natura, oculos ademerit, aures, manus, pedes, non moror amplius, sed vt verecundus habitator ab ædium domino sic appellatus vltro iam aut volens certè discedo. Hæc igitur εὐλογος

fuit

fuit Catonis, quam nisi nos Spiritus sancti & Ecclesiæ auctoritas corrigere docuisset, facili, immò nullo negotio Catonem à Peripateticorũ reprehensiunculis, quæ reuera nihil sunt, nisi ægrotorum somnia, defenderemus, eamq; quam nequiquam eripere moliuntur, fortitudinis laudem ei assereremus. Interim si quis in hanc sententiam plura Stoicorum argumenta cognoscere desiderat, Senecæ epistolas LVIII. & LXX. consulat censeo. Κατ' ἔνστασιν quoque M. Brutus Cæsarem benefactorem quidem, sed Tyrannum interfecit, propterea quod naturam suam, maiorumque suorum imitationem, Philosophiæ denique studium, quo se ad patriæ amorem & conseruationem constantiæ conformauerat (hæc enim omnia, vt in primo officiorum Cicero demonstrat ad ἔνστασιν pertinent) hoc à se requirere existimaret. κατ' ἔνστασιν quoque B. Paullus Apostolus manibus suis victum quæsiuit, nec stipendium, quod ei ab illis, quibus Christus prædicabat, debebatur, recipere voluit. quod suum vitæ institutum sic seruauit sedulò, vt scribere non dubitarit. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Gloria autem hæc Euangelii gratis prædicati erat corona gloriæ, quam à iusto iudice sperabat sibi redditum iri in illa die. Quod si quis nunc Paullum cum ceteris Apostolis conferens, illum quidem inueniat gratis prædicasse, hos autem stipen-

ſtipendium accepiſſe (id quod eos feciſſe ex I. ad Corinthios IX. apparet) non eſt, quod vel hos, vel illum quicquam feciſſe præter officium exiſtimet. Apoſtoli enim ſtipendium recipiebant, quia *Dominus* (vt ſcribit Paullus) *ordinarat iis, qui Euangelium annunciarent de Euangelio viuere*: ac propterea ſecundum vniuerſam naturam faciebant, quæ vult, vt qui plantat vineam, de fructu eius edat, qui paſcit gregem, de lacte manducet; qui ſementem facit, metat. Paullus autem ſuam naturam, ſiue inſtitutum & conſuetudinem, quæ altera eſt natura ſecutus, vt hoc maiorem à Deo gloriā conſequeretur, ſtipendiū accipere recuſauit. Qua re non eſt, vt quorū diuerſa fuit ἐνςάσεις ab iis eadem officia poſtulem.

Cùm autem fieri non rarò ſoleat, vt officiis diuerſarum perſonarum propoſitis dubitatio incidat, cuius perſonæ ratio potior haberi debeat: cauendum eſt ſedulò, ne qua Decorum negligamus, ſiue Officium (eſt enim Decorum nihil aliud, quàm Perſonæ Officium) migremus. Atque illius quidem Perſonæ, quàm communis Natura nobis induit, quin potiſſima habenda ſit ratio, ex iis, quæ diximus dubitari nequit. Proximum locum illa vindicat, quam Caſu nobis imponi diximus, propterea quod eadem cōmunis natura nobis dictet, ea quæ Caſus (velut Ciceroni appellare placet, nos meliora docti Prouidentiā diuinā rectè dixerim) nobis tamquam ſocialib. animalib. communi bono genitis, hoc

eſt

eſt, reipublicæ membris atque partibus obtulit, *κατὰ τὸ τῆς πόλεως ἦθος ex ingenio atq; vſu eiuſdem reipub.* à nobis eſſe collocanda: ita tamen, vt ne quid admittatur contrà Officium illud, quod Perſona à communi Natura impoſita requirat, cuiuſmodi ſunt omnia, quæ alicui ex Virtutibus repugnant. quo poſito ſubmouetur eorum ratio, qui palàm libris editis ſcribere non verentur, Officium conſiliarii eſſe perpotando quoque & calices decumanos ſiccando, cùm Principis ſui vtilitatem id poſtulare videat, virum ſe præbere, quod illi non tam ex vllius Philoſophi, quàm ex illa Comici paraſiti diſciplina videntur arripuiſſe:

Aliquid priùs obſtrudamus, pernam, ſumem glandium,
Hæc ſunt ventri ſtabilimenta, panis & aſſa bubula:
Poculum grande, olla magna, vt ſatis conſilia ſuppetant.

Conſcii nempe ſibi ſunt virtutis ſuæ, poſſuntque cum ancilla illa gloriari:

Quamquam ego vinum bibo, at mandata non conſueui ſimul bibere.

Quod iam reliquum eſt, vel Naturæ cuiusq; propriæ, vel inſtituto ac conſuetudini, quæ altera & plerumque potentior eſt Naturâ, perſolui à nobis debet. quod vt fiat planius, diſtinctionem

nem illam nostram priùs schematismo adumbratam exhibere, tum pauculis exemplis breuiter declarare operæ pretium fuerit.

PERSONA igitur induitur nobis vt

- *Hominibus absolutè consideratis à*
  - *Natura, eáque vel*
    - *Communi qua scilicet sumus rationis participes & à bestiis differentes. Huic debetur primus locus.*
    - *Propria cuiusque, qua ad hoc vel illud sumus procliues aut magis facti: Huic modò tertius, modò postremus.*
  - *Voluntate & instituto siue Consuetudine, quæ est altera Natura. Huic modò tertius, modò postremus.*
- *Ciuibus siue reip. membris à Prouidentia diuina siue Casu. Huic secundus locus.*

Quòd si nunc Ordo ille peruertatur, & alterum in alterius locum immigret, fieri necesse est, vt sæpè aut Neutrum siue Indifferens fuerat, in Præter officium personæ siue Indecorum conuertatur. Nam verbi gratia Hominis absolutè considerati neque Officium, neque Præterofficium, sed Neutrum siue Indifferens est, animi causa in circo ambulare & forum pererrare, hominumq; ibi circulis immixtum, circumforaneum pharmacopolam auscultare, aut etiam in publico pila ludere. Sed idem Præterofficium itidē absolutè considerati hominis erit, si is vel natura ad austeritatem ac grauitatem factus sit, vel id genus vitæ instituerit, quod turbam hominum, maximè nugas agentium, abhorreat, cuiusmodi est Monachorum, quos memores illius esse oportet, quod à magno illo Antonio dictum legimus: *Idem esse Monachum extra claustrum, quod piscem extra aquā*: Eadem porrò res Præterofficium siue Indecorum erit, cum eam faciet is, cui vt primario alicui reip. membro Personam Casus imposuit, vt Principis aut alioquin Potentis & Honorati; quorum ea est conditio, vt quo celsiùs inter ceteros homines eminent, eò diligentiùs loci sui dignitatem tueri, neque suo solùm judicio ea in re satisfacere, sed rumori quoque & hominum opinioni seruire necesse habeant. In quam sententiam eleganter Seneca ad Neronem suum scribit: Quilibet nostrum debet aduersus opiniones malignas satis fiduciæ habe-

re in bona conſcientia: Principes multa debent etiam famæ dare. Alia conditio eſt eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent; quorum & virtutes vt appareant; diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra facta dictaque rumor excipit, & ideò nullis magis cauendum eſt, qualem famam habeant, quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt. Quàm multa tibi, Imperator, non licent, quæ nobis beneficio tuo licent. Poſſum in qualibet parte vrbis ſolus incedere ſine timore, quamuis nullus ſequatur comes, nullus ſit domi, nullus ad latus gladius: tibi in tua pace armato viuendum eſt. Hactenus Seneca; qui non negat Priuato quoq; bonam famam curæ eſſe debere, cùm ipſa hoc Natura poſtulet, non peius quem audire, quàm meruerit, vt hominis maximè ingenui eſſe videatur (ait Cicero) bene velle audire à bonis: tantùm docere conatur, maiorem Famæ rationem Principi & omnino ei, qui in rep. eminet & ciuibus ſuis præſtat, habendam eſſe. Cuius rei hæc eſt ratio, quia ſecundum naturam eſt, ipſam etiam ciuitatem ſiue rempub. benè audire, ciuitas autem id videri ſolet (vt ſcribit Ariſtoteles) quod in ea præſtat & excellit. quare plurimum famæ ab iis dari conuenit, qui ceteris in ciuitate aut regno, aut magiſtratu, aut nobilitate, aut potentia, aut diuitiis, aut gloria, aut ſapientiæ denique

 opi-

nique opinione superiores sunt. Atque hanc sibi caussam esse affirmat Socrates ille apud Platonem, cur iam capitis condemnatus neq; supplicibus verbis pœnam à iudicibus deprecetur, neque propter amicos eorum ad commiserationem flectendos, aut liberos suos paruulos, aut amicos in iudicium adduxerit: turpe enim hoc ciuitati futurum, si ipse, qui ceteros Athenienses longè sapientia antecellere existimetur, mortem expauescere neq; à muliere quicquam differre se ostendat. Ingeniò igitur & consuetudini patriæ deferendum est, & ex ipsius vtilitate tam natura nostra priuata, quàm instituta vitæ ratio moderanda: aut vbi id non potest, ne quippiam in repub. turbetur, ex ea discedendum: quomodo Scipio Africanus, cùm se intelligeret diutiùs in patria esse non posse, nisi contra tenorem vitę gloriosè à se actę cum seditiosis tribunis conflictari: aut populo (quod naturæ eius repugnabat) sæpè supplex fieri vellet, in exsilium concessit. Et Milo, quamuis gerendis in repub. honoribus iam ad Consulatum aditum sibi fecisset, adeoque animum suum ad demissionem & humilitatem satis adsuefecisse videri posset (non minùs enim se submittere aliis necesse habent, qui honores ambiunt, quàm corpus incuruare, qui cliuum adscendunt) potiùs tamen, quàm naturam suam & animum celsum supplici abiectione reorum more deturparet aut quicquam splendore præteritorum annorú hu-

humilius faceret, exsul esse præoptauit. Et hac quidem in re maiorem personæ illius, quam priuata ipsi natura attribuerat, quàm eius, quàm voluntate sua & vitæ instituto sibi accommodarat, rationem habuit. Demosthenes contrà institutum suum suscipiendæ reipub. persequi, quàm naturæ propriæ, quam prorsus pœnè ab oratoris professione diffidentem sortitus erat, parere maluit. Proeliatus est (inquit Valerius Maximus) contra rerum naturam, & quidem victor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superando. Omninò autem qui ciuitatis membrum manere cupit, vsum illius & natura sua & instituto vitæ priorem habere debet, quare non immeritò eos notat Euripides, qui cùm rempub. gerendam & vel domi vel militiæ administrandam susceperunt, faceti adhuc dicaces & vrbani haberi cupiunt, apud Stobęum sermone XLIII.

Λαμπροὶ δ' ἐν αἰχμαῖς, ἄρεος ἐν τε συλλόγοις
Μή μοι τὰ κομψὰ ποικίλοι γεννοίατο.
Ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ μεγάλα βουλεύοντες εὖ.

Ita quamquam Personæ officium seu Decorum non migrant, si qui priuati vel naturæ ductum, vel institutam vitæ rationem secuti in pecuniis erogandis restricti, in ciuili aut familiari consuetudine austeri aut iocosi sint, vel iniurias illatas acriùs propulsent & persequantur, aut

ſolitudinis amantiores non æquè in admittendis hominibus faciles ſe præbeant: tamen aliam in repub. perſonam, vt Regis aut Principis, adepti, vel huic ſuæ naturæ parere, vel vitæ rationem perſeuerare velint, non indecorè modo, ſed ſæpè etiam iniuriè ſeſe gerant. Vnde Antigonus Demetrii Poliorcetæ pater Ariſtodemo vni de amicis, qui coqui filius eſſe credebatur, magnificentiæ & ſumptibus faciendis modum quendam ponendum ſuadenti: Tui, inquit, ſermones cinctum culinarium redolent. Et Sopater apud Stobæum ſermone XLIV. Abſtinendum eſt dicteriis (inquit) iis, qui verè imperare volunt: qui enim ridiculus eſſe gaudet, imperii maieſtatem imminuet. Seneca de Clementia libro 1. Æquum eſt, inquit, hominem hominibus propoſitum miti animo exercere imperium. Faciliùs priuatis ignoſcitur, pertinaciter ſe vindicantibus. Poſſunt enim lędi, dolorq; eorum ab iniuria venit: timent prætere a contemptum: & non retuliſſe lædentibus gratiam, infirmitas videtur, non clementia. At Princeps, cui vltio in facili eſt, is omiſſa ea, certam laudem manſuetudinis conſequitur. Humili loco poſitis exſerere manum litigare, in rixam procurrere, ac morem iræ ſuæ gerere liberius eſt. Regi vociferatio quoq; verborumq; intemperantia non ex maieſtate eſt. Euripidæus porrò Menelaus hoc maximè Agamemnoni in criminis loco obiicit, quod Regnum iam Græcorum adeptus, foret

Δυ-

Δυσπρόσιτος, ἔσωπε κλείθρων ἀπάνιος, *non adiri facilis intra claustraq; abditus.* Et Plutarchus refert, Demetrium Poliorcetem hoc maximè apud suos offendisse, quod difficiles ad eum essent aditus. Contra Plinius in panegyrico in primis Traiani laudibus admissionum ipsius facilitatem ferri solitam testatur. quam in sui quoque proconsulatus laudibus Cicero noster commemorandam sibi putauit. Non minùs Indecorè illi se gerere iudicandi sunt, quicumq; regnum aut principatũ seu ludicra & humilia tractando, cuiusmodi sunt ars pingendi, fidibus canendi, tornandi, grammaticos, arithmeticos, musicos, ac quosuis alios libros componendi & edendi: siue intempestiua & superstitiosa demissione aut Humiliatione erga alios vtendo imminuunt. Meritò igitur Demetrium Plutarchus laudat, quod cùm solers esset atq; intelligens, nequaquam ad ludicra, neq; ad futilia studia ingenii sui vim applicuerit, velut aliis regibus familiare est, tibiis canendo, pingendo & tornando otium consumentibus. *ἡ γὰρ αὐτουργία τῶν ταπεινῶν τῆς εἰς τὰ καλὰ ῥαθυμίας μάρτυρα τὸν ἐν τοῖς ἀχρήστοις πόνον παρέχεται καθ' αὐτῆς*: *qui in vilibus & abiectis rebus occupatur, illam ipsam futilium curam velut sua ad honesta & idonea studia socordiæ testem quendam contra se ipsum adducit.* Et Diotogenes Pythagoricus in libro de regno: Oportet, inquit omnia circa regem maximè veneranda videri, nec vllum hu-

humile ſeu vulgare ſtudium eius, ſed quod agit, admirabile eſſe, ita vt regnum & ſceptrum decet. Vndè cantor ille (ait Plutarchus) non inſcitè ſilentium Philippo impoſuit de pulſandis fidibus ſecū contendenti, cùm diceret. Abſit à te tantum mali, ò Rex, vt hæc, quàm ego, ſcias melius. Et ipſe Philippus cum audiſſet filium ſuum alicubi ſcienter ceciniſſe, oportunè ſic eum obiurgauit: Non tui te pudet, qui ſcias tam belle canere? Fabius autem maximus filium ſuum collaudauit, vt ex Quadrigarii annalibus refert noctuum Atticarum ſcriptor; quod cùm conſul Romanus eſſet, patrem ſuum, qui priore anno conſul fuerat, in equo obuiam ſibi factum, per apparitorem ſeu lictorem ſuum, ſibi honoris habendi cauſſa equo deſcendere iuſſerit, tamquam qui imperium, quod populi eſſet, retinere & maieſtatem conſulatus priuatæ neceſſitudini præferendum eſſe didiciſſet. Parum igitur Officium ſuum intelligere ſe oſtendunt, qui ad dignitatum Eccleſiaſticarum faſtigia euecti, honorem obſeruantiæ ac cultus cauſſa iis, qui earum potiuntur, tribui ſolitum, vel intempeſtiua humilitate, vt dixi, imminuunt, vel contemnendo aut non exigendo prorſus amittunt. neque enim hoc eos excuſare poteſt, quod ſe vel natura ſua ad humilitatem factos, vel inſtituto vitæ (vt ſi quis, qui monachus diu fuiſſet, Pontifex Maximus fieret) ad negligendos externos illos honores, non exigendos certè, duci ſe dicat

Vt

Vt enim supra ostendimus, ita cuique sua sequenda est natura, & conseruanda, quam instituit, vitæ ratio, vt contra vniuersam naturam nihil contendat. Cùm igitur vniuersa illa natura nos animalia sociabilia fecerit, Societas autem humana eorum, qui in ea præsunt auctoritate & maiestate labefacta atque conuulsa insigniter violetur: nihil eis excusandis loci relictum esse apparet, qui ex sua vel natura, vel ratione atque instituto vitæ societatem humanam siue rempub. detrimentum accipere patiuntur. quod si didicissent nostræ ætatis Hæretici, nequaquam Sanctorum illorum Pontificum memoriam tam infestis animis persequerentur, quos ab Imperatoribus eum, quem à multis iam sæculis Ecclesiæ Romanæ & sedis Apostolicæ antistiti promptè semper deferri solitum scirent, honorem diligentius exegisse historici auctores sunt: nisi illi fortè nesciunt, quod omnes sciunt, religionum omnium contemptum, cuicuimodi illæ sint, à sacerdotum contemptu ac despicientia originem ducere consueuisse. nam qui putant, bonum Pontificem, vt in sordibus abiectus & vilis jaceat, probris & iniuriis petulantissimi alicuius militis expositus, posse & debere homines sola sanctitate & patientia in sui venerationem & cultum perducere: illi & priscè loquuntur (vt ait Aristoteles eos facere, qui vrbem virtute ciuium, non manibus muniendam esse contendunt) neque modos, quibus

Deus in regendis hominibus vti solet, obseruasse satis videntur. Nam quamquã Deus solo nutu victoriam de hostib. tribuere & ab impendente calamitate liberare suos poterat, Dauidem tamẽ stratagemate & insidiis vti voluit 2. Reg. 5. ℣. 23. Estheris etiã deliciis & roseo vult⁹ colorę, Iudithę aũt ornatu pœnè meretritio salutẽ poplo suo ꝓ curauit. qd ergò miramur, si eundẽ externo etiã splendore sacerdotũ suorũ in ꝑmouẽdis hominũ animis vti intelligam⁹? At n. nõ ita Christus, q vbi caput reclinaret, nõ habebat: non ita Petrus, q sibi aurũ esse & argentum negabat. Sed quousq; tandẽ hęc illi nobis odiosè occinẽt? quousq. infantiã Ecclesię Christi extẽdẽt? neq; animaduertent, fuisse olim & ꝑteriisse tẽp⁹ illud, quo verũ erat illud: *Adstiterunt reges terræ & principes conuenerũt in vnũ aduersus Dominũ & aduersus Christũ eius*: esse aũt jã tẽpus, in ꝙ conueniunt istud: *Et nunc Reges intelligite: erudimini, q iudicatis terrã.* Vt vt enim faciãt Hæretici, impedire non poterunt, q n ꝑstet Ecclesię suę Deus ꝙ ei Esaiæ ore ꝓmisit apud quẽ cap. LX. legimus: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ort⁹ sui. Tunc videbis ô *Ecclesia* (hanc enim appellari S. Joan. cap. XXI. Apocalypseos nos docet) mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuersæ ad te fuerint diuitiæ maris, & substantię ac possessiones gentiũ obuenerint tibi. Me enim insulæ & remotissimę quoq; gentes exspectant, & naues maris in primis, vt adducam filios tuos ethnicos

de longè argentum & aurum eorum cum eis offerendum nomini Domini Dei tui. Et ædificabũt filii peregrinorum (siue ethnicorũ) muros tuos ac templa tua, & reges eorũ vt ministri adstabunt & apparebunt tibi. Et aperiantur portę tuę iugiter (id est, perpetuo durabit vera verbi diuini & baptismi, quib. velut portis ad Ecclesiã intratur, administratio) die ac nocte non claudentur (non cessabit vera verbi p̃dicatio & verus baptismus) vt afferatur & conuertatur ad te fortitudo gentiũ & reges earum adducantur. Gens enim & regnũ, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Quomodo autem Reges gentium Ecclesiæ seruire debeant, non solùm S. Patriarcha Isaac nobis præmonstrat, dum Geneseos XXVII. sic filio suo Jacobo benedicit: Seruiant tibi populi & adorent te tribus: esto dominus fratrũ tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuæ: sed ipse Deus illo ipso Isaiæ loco: Et venient ad te curui ac humiles filii eorum, qui humiliauerunt te, (siue, successores imperatorum ethnicorum) & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi & vocabunt te ciuitatem Domini. Pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret & Christianus fieri vellet) ponam te in superbiam, gloriam & pompam sæculi, gaudium in generationem & generationem, & satiaberis diuitiis populorũ & opes regũ comedes: pro ære afferam aurum & pro ferro ar-

argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & dabo principes tuos pacificè regentes & Episcopos tuos justè præsidentes. Simillimè autem eiusdem Isaiæ cap. XLIX. Et erunt Reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. quæ verba Christi Ecclesiæ dicta esse, discimus ex Actor. 13. & 2. Cor. 6. & Apocal. 7. Atque hæc quidem Ecclesiæ suæ promisit is, qui mentiri nescit, & cuius dicere est facere. *Ipse enim dixit & facta sunt.* Jam ne quid cauillis Hæreticorum sit loci, doceamus hæc propriè, non per figuram dicta accipi debere, & Ecclesiæ haberi omnes hos honores, qui eius Sacerdotibus exhibentur. Apocalypseos igitur tertio capite vult Deus Episcopo Philadelphia honorem adorationis, Ecclesiæ promissum, præstari. Sic enim ibi loquitur: *Ecce faciam illos, vt veniant & adorent ante pedes tuos, & scient, quia ego dilexi te, quoniam seruasti verbum patientiæ meæ.* Et Isaiæ LXI. (quod caput de se deque Ecclesia sua intelligendum esse Christus Luc. IV. docet) his verbis Sacerdotes Christianos compellat: Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri dicetur vobis: Diuitias gentium comedetis & in gloria earum superbè purpuram induemini. Quod autem hæc Sacerdotum felicitas eiusmodi futura sit, quæ non tantum intelligentia comprehendatur, sed in omnium hominum oculos sensusque

in-

incurrat. ibidem nos docet, Et fœdus perpetuum feriam cum eis Sacerdotibus, & scietur palamque cognoscetur in gentibus semen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, cognoscent illos, neque vllum restabit dubium, quin isti, sint semen, cui benedixit Dominus & in quam tantas opes tantamq; felicitatem contulit. Ex his igitur facilè intelligitur, peccari ab iis & officium personæ seu Decorum neglectui haberi, qui cùm in Ecclesia Dei principem locum obtineant, debitum officio ac muneri suo honorem vel repudiando, vel cum opus est non exigendo efficiunt, vt non de dignitate modò Ecclesiæ detrahatur, sed in illos etiam, quibus indulgent, pœna non præstiti Ecclesiæ seruitii recidat. Gens enim & regnum (inquit Deus) quod non seruierit tibi peribit.

Qui autem honoribus ac dignitatibus aucti suum reipub. tempus subducunt & in iis potiùs studiis, ad quæ vel naturæ ductu vel instituto vitæ feruntur, quàm in administrando bono publico & hominum quibus seruire debebant, negotiis consumunt: non iam Indecorè tantùm, sed omnino iniustè sese gerunt. Tu enim ad summos honores Ecclesiasticos mihi euectus & Cardinalitio apice potitus fueris (liceat hoc exempli gratia proferre) & nunc cum id tibi præstandum foret, propter quod honorem accepisti (si tamen ex illis es, quibus honos datus potiùs vt eum deinceps mereant, quàm quod prius me-

meruerint,quorum hominũ hodie multo maior est numerus,quàm Ecclesiæ expediat) assiduè orando,legendo aut commentando ea, quæ maximè te oblectent.partibus tuis te functum existimes? tamquam ignores videlicet quæ Cardinalis partes sint,quod munus; immò verò quod onus. In Ecclesiæ specula positus est Cardinalis non solùm vt deliberanti Pontifici consilium suum subiiciat, sed vt oculos in omnes totius Ecclesiæ partes circumferat detq; operam sedulò,ne se quicquam effugiat,quod opem sedis Apostolicæ reqrat, quam ad rẽ necesse habet vel c sublato homines ad se admittere, vt quoniã ips aliis in locis adesse&necessitatẽ singularũ Ecclesiæ partiũ corã intueri nõ potest, id ex ipsorũ relatu accipere queat.Hanc ergò potissimũ ob causam cũ honos ille detur,ꝗ precũ, lectionũ ac cõmentationũ ꝑtextu sic se in cubiculũ suũ abdi vt ad ipsum admitti ingentis beneficii loco du oporteat,is quantũ volet precetur licet, legat comentetur,nequaquã tamẽ efficiet,vt viri bo munus implesse videri debeat,talis n.cũ sit&c mune bonũ opa sua defraudet, quantũq; in ip est detrimẽtũ accipe patiatur,ignau° est,iniuri est,& vt vno verbo vitia includã omnia,ingrat est. At enim Cardinalis certè est,ne in eo qui quod à Timot.suo requirit S.Paulus, pati par suas à quoquã desiderari,cuiusmodi est: *Exe te ipsum ad pietatem,attende lectioni,hæc medit in his esto.* Sunt omninò ista, neque iis contra

potest. Sed cùm in eodem homine vtraq; & Clerici & Cardinalis persona sit, in primis verborũ illorũ Domini meminisse hic oportet. *Hæc oportet facere, & illa non omittere.* quæ ipsa Apostolo caussa fuit, cur in cohortatione Timothei qui & Episcopi & Clerici personã sustinebat, *Iustitiã* primo loco ab eo exigat: Sectare, inquit, iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Item: Juuenilia desideria fuge, sectare verò iustitiã, fidẽ, spẽ, charitatẽ & pacẽ. Jam verò quis nescit iustitiã in Præmiorũ ratione maximè versari, neq; minùs iniustũ esse, qui operam, pro qua honorem accepit, non repræsentat, quàm q̃ minimè merenti honorẽ tribuit? Atq; hinc facilè colligas, quàm gratas Deus habeat preces & commentationes eorũ, qui cùm summi Ecclesiæ Dei Consiliarii munus susceperint, parum memores senarii illius:

Ἀρχῆς τετυχώς, ἴσθι ταύτης ἄξιος.

Imperium adeptus, & te dignum prabeas.

non aliter in eo se tractant atq; adhibent, quàm si Deus in honore ipsis conferendo magis quomodo ipsi commodè & ex sententia ætatem exigere, quam quomodo Ecclesiæ suæ necessitatib. fideli atq; prompta hominis gnaui opera atq; cõsilio succurri posset, rationẽ habuerit. Quib. si verò verã rẽ volum⁹ exseq, reprehensio illa, quę in quendã modulantiùs orantẽ C. Cæsarẽ vsũ fuisse scribunt, *si legis, cantas: si cantas, malè cantas*: sic rectissimè accomodetur: si Cardinalẽ agis, Clericũ agis: si Clericũ agis, malè agis. adeò vt q Philippo

Regi aniculam illam, cuius caussâ Philippus sæpius interpellatus ideò non disceptare se posse dixerat, quod sibi non vacaret, subiecisse Plutarchus refert. Noli ergò regnare: non minus his talibus occentari mereatur: Noli ergò Cardinalis esse: quid enim (malùm!) retulit hos oblatum honorem suscipere, si nihil facere, nisi, quod boni Clerici est, hoc est, orare, sacra facere, legere, ac commentari, prorsusque à negotiis aliorum Christianorum vacare volebant? nam de iis studiis, quæ ne bonum Clericum deceant (cuiusmodi sunt eorum qui dormiendo iis maximè horis, quæ rebus agendis destinata sunt, ludendo, otiando, animi caussà hac illac vectando, venando denique tempus consumunt) quàm ab Ecclesiasticis maximè principibus ea excludi prorsus debeant, manifestius est, quàm vt verba ea in re consumere debeam.

Sed his plura & vberiora qui desiderat, ipsum adeat Ciceronem, qui accuratissimè & copiosissimè omnia quæ huc pertinent præcepta libris suis de Officiis complexus est: quos ego post Decretorum & Præceptorum ad curandas animi perturbationes spectantium explicationem, à præceptoribus scholarum nostrarum legi publicè & ex nostris hisce elementis (sine quibus non temere vel doctissimi quique eos intellexerint) explanari suaserim: aut si omninò per temporis angustias id minùs commodè fieri queat, tabulas quasdam seriem & ordinem toti*

illius

illius disputationis exhibentes, dictandas auditoribus censeam, vt ipsi tanto faciliùs domi suæ Ciceronem legere, & quæ laudabilia apud alios scriptores (etiam apud recentiores tam eos qui communiter & vniuersè de officio locuti sunt, quàm qui propriè singulis officia descripserunt, cuiusmodi hodiè libri diuersis linguis conscripti plures exstant) formandisque moribus oportuna inuenerint, ad capita illa Ciceroniana referre, vel vtraq; suo quodam iudicio disponere & corpus quasi nouum conficere ex illis possint. Apes enim debemus imitari, & quæcunque ex diuersa lectione congessimus, separare: meliùs enim distincta seruantur: deinde adhibita ingenii nostri cura & facultate in vnum saporem varia illa libamenta confundere, vt etiamsi apparuerit, vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quàm vnde sumptum est, appareat. Assentiamur illis fideliter, & nostra faciamus, vt vnum quiddam fiat ex multis.

CAP. CLII.

HViusmodi igitur ea esse debent, vt dixi, quę magistrorum suorum ductum secuti auditores ex libris bonorum auctorum excerpent, vt omnia denique ipsorum studia ad profectum tendant & ad bonam mentem; nec quæratur plausus. quod vellem præter ceteros didicissent magna *Criticorum* pars, quos hodie gloria publicandi ingenii in medium producere solet. Illi

enim cùm librorum numero (quod de ſuæ ætatis historicis Lucianus ſcribit) maximè verò Inſcriptionibus titulisque inſolentiſſimis faſtidiant, non aliter quàm culices ſpuma vini, vappa & aceto gaudent, bonum autem & pótui aptum vinum auolantes fugiunt: ſic ipſi rebus ad excolendum vel ſcientia augendum animum profuturis prorſus abſtinent, & quàm longiſſimè ab ijs reſiliunt, in nugis autem & quiſquilijs probandis & docendis, tamquam nemo talia vel ſciret, vel crederet, toti occupantur. Quos ſi forte admoneas, temporisque, cuius vt rei vnius pretioſiſſimæ maximam haberi rationem par eſt, in mentem ipſis reuoces, ſubducto ſtatim ſupercilio reſpondebunt tibi: neq; ſe in his leuioribus ſtudijs quoddam quaſi vitæ tabernaculum collocaſſe, ſed ijs vt auocamentis, quibus grauiores curas diſtinguant, vti conſueſſe; ceterùm ſeria tractare, ſibique & alijs vſui futura, vt credas ſcilicet, eos omnia ſcire, ſed in iſtis animi tãtùm, otijq; conſumendi cauſſa occupari, exemplo ſophiſtæ illius Platonici, quem cùm laudaſſet Socrates, tamquam rei militaris & forenſium cauſſarum peritiſſimum: ille nimis ieiunè laudatum ſe exiſtimans: *Nequaquam*, inquit, *ô Socrates, his in rebus diligenter ſumus, ſed ea vt parerga, aliudq́ agentes præſtamus.* Exſpectant nimirum quod eidem Sophiſtæ à Socrate, quamuis εἰρωνι δ᾽ ομδύω, tum reſponſum fuit, à nobis quoq; audire: *Preclara eſſe oportet opera ac ſtudia veſtra ſeria, cùm*

hu-

huiusmodi ſint oblectamenta & remiſſiones ſeu ſecundariæ occupationes veſtræ. Hoc tamen ne apud intelligentes conſequantur, oportune Plutarchus intercedit, cuius verba, quæ de regibus & ſummi loci hominibus ipſe protulit, ad omnem ſtudiorũ rationem rectiſſimè retulerim: *ἡ αὐτουργία τῶν ταπεινῶν, τῆς εἰς τὰ καλὰ ῥᾳθυμίας μάρτυρα τὸν ἐν τοῖς ἀχρήστοις πόνον, παρέχεται καθ' αὐτῆς: qui in vilibus & abiectis rebus occupatur, illam ipſam futilium curam, velut ſuæ ad honeſta & idonea ſtudia ſocordiæ teſtem quemdam contra ſe ipſum adducit.* Nam quo pacto res ſerias ac graues ipſis cordi fuiſſe credere poſſum, cùm libri eorum nihil niſi nugas ac gerras germanas præferant, vt cùm, v.g. Criticus eiuſmodi repta in ſcriptore quopiam *Stabuli* voce ipſi viginti ſeptẽ diuerſiſſimorũ auctorũ loca ad teſtimonium citat, vt doceat *ſtabulum* modò pro diuerſorio, modò pro lupanari accipi: oblato autem. *Hirci* vocabulo rurſum viginti ſeptem loca laudat, quibus probet, *Hircum* pro alarum, aut etiam oris fœtore poni. Tum ne non videatur nihil de antiquis moribus ac ritibus didiciſſe, quicquid vmquam in auctoribus legit, hoc continuo *Ritum* antiquum fuiſſe oportet: cuius generis eſt, quod quidam notat, vt inſtitutũ ſcilicet iam olim obſoletum & mala mulierũ conſuetudine diſſolutum, ſolitas fuiſſe puerperas ſtatim

à partu lauari, ac velut hoc non temerè creditum iri exiſtimet, multa vndique ex poetis aliiſque ſcriptoribus teſtimonia conquirit: vt non dubitem exſtituros, qui inter Ritus veteres & hoc ponant, multiſque teſtimoniis probent, ſolitos olim pueros, cùm vapularent, dolere: cùm eſurirent, cibum poſcere: poſt concurſationes diurnas noctu cubitum concedere, & in cubiculo dormire. quippe ni? cùm & horum rituum non pauca ſcriptorum variorum loca meminerint. Ac talia ſi à pueris modò aut adoleſcentulis ſcriberentur, ſileri fortaſſe poterat, quod eos variæ lectionis ſtudium nonnihil excuſet, cùm præſertim hæc res ab otio vel vitiis eos auocet, & vtique acturos aliquid occupatione honeſta teneat (prodeſt autem quod moratur ad praua properantem) nunc autem faciunt eadem non pauci ex piloſis iſtis,

Quique manu mulcent propexam ad pectora barbam,

Quos meritò iam nucibus relictis patruos ſapere oportebat. Sed nimirum homines bona fide ſcholaſticos ingens falſę glorioſæ thyrſus ſic percuſſit, vt à fine, qui melioris notæ ſcriptoribus propoſitus eſſe debet, longiſſimè aberrent, nihilque niſi vmbraticorum quorumdam homuncionum plauſum, illudq; grande σόφος librorum multitudine & mole, ac teſtimoniorũ

ex

ex diuersissimis scriptoribus petitorum turba consequi laborent, quod numquam, credo facerent, si Socraticorum virorum monitis aurem accommodare didicissent. Aristippus enim, vt auctor est Laertius, cuidam de Polymathia siue, quod multa didicisset, glorianti: sicut, inquit, qui multa comedunt, multisque exercentur, non melius valent his, qui quæ opus sunt, sumunt: sic etiam non qui multa, sed qui vtilia legunt, docti sunt. Et Plato Dionysium iuniorem Siciliæ tyrannum, quem insanabile illud scribendi cacoethes tenebat, sic prudentissimè monet: Caue, ne quando te pœniteat eorum, quæ tibi indignè ac temerè nunc exciderint. Maxima verò huius rei cautio est, nihil scribere, sed addiscere. nam quæ scribuntur, contineri non possunt. *Solet* autem à nonnullis refelli, iniquum esse, si quis vt iisdem singulorum ingenia studiis capiantur, postulet, cùm id fieri nullo modo possit. μία ὀυχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει μελέτα

Non nos alet studium omnes pariter vnicum,

vt canit Pindarus. nam

Millia quot capitum, totidem viuunt studiorum, &

Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Vnde Seneca: Non est, quod mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta collige-

re. In eodem prato bos herbam quærit, canis, leporem, Ciconia lacertum. Cùm Ciceronis libros de republica prehendit hinc Philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiæ deditus: alius aliò curam suam mittit. Et Plinius cũ dixisset multos esse, quos ea, quibus nos capimur & ducimur, partim vt inepta, partim vt molestissima offendant: *Demus*, inquit, *alienis oblectationib. veniam, vt nostris impetremus.* Sed quis hæc illis negat, ac non vltrò largitur? οἶδά τι καὶ ξυνίημι τώδ᾽, οὔ τι με φυγγάνει, adeoq; iuuenes eloquentiæ incumbentes laude, vago autem illo & quasi desultoriò studendi genere per varias literas ac disciplinas ferri solitos, venia non indignos esse arbitramur: eorum tantùm iudicium requirimus, qui ea, quæ quiuis vir bonus sine turpitudine contempserit, tanto cum fastu venditare, & interea ereptam ceteris omnibus iudicii laudem sibi velut propriam arrogare audent. Vt enim ex iis, quæ partim nunc dicta sunt, partim commodiori loco alias à me dicentur, quiuis facilè intelligit, non poterant minùs vti iudicio, quàm vtuntur, cùm & gloriolam sectentur, & vias tamen, quibus ad eam quam minimo negotio aut ambitu adspirent, minimè insistunt, sed longè ab iis refugiunt: in eo tamen peccant maximè, quod literis illis, quibus habendus est modus, vt sint ornamento, non impedimento (nam & Eloquentiam, homine licet dignissimam, nocere Seneca affirmat, si

non

non rerum cupiditatem faciat, sed sui) ita se totos adfigi patiuntur, vt nulla vi inde auelli possint: varietatem etiam studiorum sic amplectuntur, vt parum memores videri queant eius, quod à Plutarcho rectissimè dictum est: *Pulchrum quidem & iucundum esse circa multas vrbes nauigare, vtile verò optimam habitare, & in ea domicilium collocasse.* Eos autem iudicio demum vti existimamus, qui hoc firmiter animo fixum habent, vt domus ciuitate prior est, ita sibi operam esse dandam, vt priùs viri, quàm ciues boni euadant, hoc est, ex omnibus studiis priùs ea, quæ ipsis, quàm quæ aliis vsui esse possint, seligant, & ediscant, & vt poetæ imitatione dicam,

Inter cuncta legant percunctenturq́ peritos,
Qua ratione queant traducere leniter æuum:

faciantque quod ille apud Athenæum facere se dicit: οὐκ ἐγὼ τὰς ἐκ τῶν βιβλίων ἀκάνθας ἀναγινώσκων ἐκλέγω, ἀλλὰ τὰ χρησιμώτατα καὶ ἀκοῆς ἄξια *non ego libros legens. Spinas eorum seligo, sed ea tantùm, quæ vtilissima sunt, & nusquam non audiri digna*, ne cui scilicet ex Theogneti phasmate dici queat:

Επ᾽ ἀρίστερ᾽ ἔμαθες, ὦ πόνηρε, γράμματα,
Ἀντέστροφε σου τὸν βίον τὰ βίβλια.
Ignaue, scæuas addidicisti literas,
Vitam libelli euerterunt tuam tibi.

Cùm præsertim ea sit vitæ nostræ breuitas, vt vix ad necessaria discenda nobis sufficiat, adeò non dubitarit Cicero negare, si duplicaretur sibi ætas, habiturum se tempus, quo poetas lyricos omnes legeret. Vnde non immeritò indignari se ait Seneca, aliquos ex hoc tempore (quod sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiam si custoditum diligentissimè fuerit) in superuacua maiorem partem erogare. Quamcumque enim partem rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum ac discendorum fatigaberis. Hæc tam multa, tam magna, vt habere possint liberum hospitium, superuacua ex animo tollenda sunt. Non dabit se in has angustias virtus. Laxum spatium res magna desiderat: expellantur omnia: totum pectus illi vacet. Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis datur, vt aliquid ex illo vacet perdere. Cogita, quantum temporis tibi auferat mala valitudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio priuata, quantum occupatio quotidiana, quantum somnus, qui portitoris instar vitam nobiscum diuidit. Ex hoc tempore tam angusto & rapido & nos auferente, quid iuuat maiorem partem mittere in vanum? At enim delectat artium notitia multarum. Tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium. An tu existimas reprehendendum, qui superuacua vasa sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo ex-

explicat: non putas eum, qui occupatus est in superuacua literarum suppellectile? *Plus scire velle, quàm sit satis, intemperantia genus est.* Omninò autem Senecæ eiusdem consilium in omni studiorum ratione sequendum nobis est, quod eius epistola LVIII. legimus: Quemadmodum (inquit) ille cęlator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque auocat, &, vt dici dici solet, pascit: sic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibusdam oblectamentis reficere. Sed ipsa oblectamenta, opera sint: ex his quoq; si obseruaueris, inuenies, quod fieri possit salubre. Et epistola CIIX. Sed ne & ipse (inquit) dum aliud ago, in Philologum aut Grammaticum dilabar, illud admoneo, auditionem Philosophorum lectionemque ad propositum beatæ vitæ trahendam: non vt verba prisca aut ficta captemus, & translationes improbas figurasque dicendi, sed vt profutura præcepta, & magnificas voces & animosas, quæ mox in rem transferantur sic ista discamus, vt quæ fuerunt verba, sint opera. Cui & Clemens Alexandrinus cùm sæpe alias, tum in sexto stromatum hoc modo consonat: Nequaquam est in his immorandum, præterquam vt quod ex iis percipi potest commodi, percipiamus, & percepto eo possimus domum reuerti ad veram philosophiam, quæ est firmum animæ refugium, quod ab omnibus præbet securitatem. Et Plutarchus in libro de profectu Virtutis sentiendo. Animad-

uerte non tantùm philoſophorum ſcripta legendo, ne ſis verbis magis, quàm rebus intentus, neque maiore impetu feraris adeo, in quibus ſubtilitas aliqua & curioſa compoſitio, quàm ad eá, in quibus medulla rerum & vtilitas ineſt. Sed & poemata hiſtoriasque tractans, caue aliquid eorum prætermittas inobſeruatum, quæ ad morũ correctionem, aut ad affectus animi leuandos accomodatè dicta ſunt. Sicut enim in floribus verſari apem ait Simonides, flauum vel meditantem, cùm alii nihil aliud, quàm colorem eorum aut odorem quærant aut percipiant: ita aliis poemata voluptatis ioci q; cauſa verſantibus, tu aliquid inueniens ac colligens ſerium, videberis iam conſuetudine & amore pulchritudinis & eorum quæ philoſophi ſunt propria, horũ cognoſcendorum facultatem tibi paraſſe. *Quod* ſi quis autem occupationes rei q; familiaris curam excuſet, quam priùs rectè conſtituendam, & ſic demum philoſophiæ operam ſibi dandam putet, eum epiſtolis XVII. & LXXII. docebit Seneca, quàm hæc omnis excuſatio non inanis modò & friuola, ſed multis etiã modis damnoſa, ac propterea ſalutis ſuæ cupido excludenda ſit, quæ diſputatio quoniam paullò eſt longior, ſimul vt lectorem ad ipſum Senecam conſulendum inſtigem, conſilio & volenti animo à me omittitur.

CAP. CLIII.

CEterùm quia fuerunt ex antiquis philosophis, qui alterutram Moralis huius Philosophiæ partem, hoc est, alii *Dogmaticam*, alii *Paræneticam*, superuacuam iudicarent (quorum opiniones & argumenta epistolis XCIV. & XCV. abundanter & copiosè Seneca exseqtur) & quoniam hodieq; multo plurimos esse noui, qui concionib. & exhortationib. publicis contẽtos nos esse, neq; philosophicas illas disputationes magnopere desiderare iubeant: facere non possum, quin de vtriusq; partis, h.e. tam decretorum, q̃ præceptorum philosophicorũ, ad hoc vt viros bonos disciplina scholarum nostrarum efficiat, necessitate & vtilitate, nonnulla his, quę hactenus à me dicta sunt, subiungam. quod quidem sic faciam, vt rationes non tam exponãtur, quàm breuiter perstringantur atq; attingantur, cùm eas à Seneca laudatis locis Lector facillimè petere queat.

Quod igitur necessaria sint *Decreta*, quinque his argumentis probari ac doceri potest. *Primùm*. Decreta sunt actionum caussæ. Sunt igitur ad Philosophiam, q̃ actiones ordinat necessario. Prius docetur ab Epicteto apud Arrianum, quẽ consulat lector. *Deinde*: Decreta sunt rationes & probationes præceptorum, quæ sanè sunt necessariæ. Necessaria igitur & Decreta. Quædam admonitionem philosophiæ desiderant (ait Seneca) quædam probationem. Nisi enim opi-

niones

niones falsas, quibus laboramus, expuleris; nec auarus quomodo vtendum sit pecunia, exaudiet: nec timidus, quomodo pericula contemnat. Efficias oportet, vt sciat, pecuniam nec bonum, nec malum esse: ostendas illi miserrimos diuites: efficias, vt quicquid publicè expauimus, sciat non esse tam timendum, quàm fama circumfert, nec dolorem quoque nec mortem. *Tertiò*: Decreta longè compendiosius omnia comprehendunt, quæ nobis erga Deum & homines facienda, & in vsu rerum obseruanda sunt quàm Præcepta, quæ minutatim res singulas tradunt. Sunt igitur Decreta necessaria. *Quartò*: In actibus virtutum requiritur, vt quis eos, certò sciens se rectè facere, faciat: id quod apud Aristotelicos quoque in confesso est. Decreta igitur, quæ faciunt, vt quis hoc scire queat, sunt necessaria. Putemus facere aliquem quod oportet, non faciet assiduè, non faciet æqualiter. Nescit enim quare faciat. aliqua vel casu, vel exercitatione exibunt recta: Sed non erit in manu regula, ad quam exigatur, non promittet se talem in perpetuum, qui casu bonus est. Deinde præstabunt tibi fortasse præcepta, vt quod oportet facias: non præstabunt, vt quemadmodum oportet: & si hoc non præstant, ad virtutem non perducunt: quoniam quidem non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. *Quinctò*: Duo sunt, propter quæ delinquimus. Aut inest animo prauis opinionibus mali-

ti:

tia contracta: aut etiamsi non est falsis occupatus, ad falsa procliuis est, & citò specie, quò non oportet trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut curare mentem ægram, & vitiis liberare: aut vacantem quidem, sex ad peiora pronam, præoccupare. Vtrumque Decreta philosophiæ faciunt. Sunt igitur necessaria. Hoc argumentum omnium validissimum & efficacissimum copiosè Seneca pluribus vtriusque illius epistolæ locis, & Cicero principio libri tertii & fine quarti Tusculanarum pucherrtimè tractat, vt qui lectionis pretium reportare cupit, omnino ad eos prouisere debeat.

Præceptorum verò necessitatem sex rationibus ostendere possumus. *Prima*: Etiamsi falsæ de rebus opiniones ex animo per decreta sublatæ sint, non tamen statim sequitur dispectus rerum agendarum, vt constet, quid in singulis vitæ partibus agendum sit. Necessaria igitur sunt Præcepta: Si quis recta & honesta habet Decreta (ait Seneca) minimè ex superuacuo monetur. nam hic quoque doctus quidem est facere, quæ debet, sed hæc non satis perspicit: non enim tantùm affectibus impedimur, quo minùs probanda faciamus, sed imperitia inueniendi, quid quæq; res exigat.

Secunda ratio: Quæ in vniuerso confusiùs videntur, in partes diuisa diligentiùs considerari solent. Sunt ergò vtilissima præcepta, cùm de rebus particularibus agant.

Tertia

Tertia. Præcepta sæpe per se multum habent ponderis, & affectus nostros velut edicto coercent & obligant, maximè si aut carmini intexta sint, aut prosa oratione in sententiam coartata, quibus etiam imperitissimi efficaciter feriuntur: sicut illud Catonianum: *Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. quod non opus est, asse carum est.* Et illa: *Tempori parce. Nosce teipsum. ne quid nimis. Ab alio exspectes, alteri quod feceris. Concordia parue res crescunt, discordia maxime dilabuntur*: quæ omnia aduocatum non quærunt, sed affectus ipsos tangunt, & natura vim suam exercent proficiunt: cùm omnium honestarum rerum semini anima gerant, quæ admonitione excitantur, non aliter quàm scintilla flatu leui adiuta, ignem suum explicat. Vtilissima igitur & illa Philosophiæ pars, quæ talibus præceptis cõstat. *Quarta:* Alius alio est ingeniosior, & hic quidem nobilis & erectus, alter tardus & hebes: hic memoriæ felicis, alter obliuiosus. Præcepta igitur necessaria sunt, quibus ingenii vis alitur & crescit; nouasque persuasiones adiicit innatis & deprauata corrigit, & memoriam refricat. Interdum scimus (ait Seneca) nec attendimus no[n] docet admonitio, sed aduertit, sed excitat, se[d] memoriam continet, nec patitur elabi. Plera[que] ante oculos posita transimus admonere, gen[us] adhortandi est. Sæpe animus etiam aperta dis[si]mulat. Ingerenda est itaque illi notitia reru[m] notissimarum, & ipse reducendus subinde

memoriam. Non enim reposita esse oportet præcepta, sed in promptu. Quæcumque salutaria sunt, sæpe agitari debent, sæpe versari, vt non tantùm nota sint nobis, sed etiam parata. Adde nunc, quod aperta quęque apertiora fieri solent, *Quincta*: Præcepta excludunt à nobis, noxiosissimum malum, *adulationem*, quæ dum meliores nos esse, quàm simus, nobis persuadet, plurimum officit: animos etiam nostros ab erroribus vulgi, qui nos vndiq; circumsonant, præmuniũt, & ad alienum exemplum componi nos non sinunt: quæ omnia apud Senecam epistolis LIX. CXV. & CXXIII. maximè verò extrema quasi epistola XCIV. luculentè disputata inuenias: Pręcepta igitur sunt necessaria. *Sexta* & vltima ratio. Conciones illæ publicæ, quamuis non vsque adeò, In Italia præcipuè, frequentes, necessariæ tamen judicantur : necessariæ igitur & præceptiua illa Philosophiæ pars. Cuius argumenti vim vberiùs explicat Seneca epistola XXXVIII. Plurimum (inquit) proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Disputationes præparatæ & effusæ audiente populo, plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est. Consilium nemo clamore dat. Aliquando vtendum est & illis, vt ita dicam, Concionibus; vbi qui dubitat, impellendus est. Vbi verò non hoc agendum est, vt velit discere, sed vt discat: ad hæc submissiora verba veniendum est : Faciliùs intrant, sed herent

herent, nec enim multis opus est, sed efficacibus. *Porrò* si quis plura legere auet de vi & efficacia præceptionum huiusmodi philosophicarum, ei C V I I I. eiusdem Senecæ epistolam adeundam censuerim. In ea enim suo docet exemplo, quàm vehementes habeant tirunculi impetus primos ad optima quęque, si quis exhortetur illos & impellat. nam ex Attali philosophi schola, quam adulescentulus ipse frequentauerat, tametsi deinde ad Ciuitatis vitam reductus, ex bene cœptis pauca seruare potuerit, adeò tamen profecisse se testatur, vt ostreis boletisque in omnem vitam renunciaret, omni vnguento abstineret, vino careret, balnea fugeret, culcita dura & corpori resistente etiam senex vteretur, absque metu denique. Tiberii fuisset, (cui Judaismi suspicionem mouere verebatur) animatorum esu velut Pythagoræus ille abstinuisset. Verisimile non est (ait eo ipso loco) quantum proficiat talis oratio remedio intenta, & tota in bonum audientium versa. Facillimè enim tenera concitantur ingenia ad honesti rectique amorem. Adhuc docilibus leuiterque corruptis iniicit manum Veritas, si aduocatum idoneum nacta est.

CON

CONCLVSIO.

ATQVE hæc ſunt Moralis Philoſophiæ ELEMENTA, quàm à Socrate inuentam Plato, Antiſthenes, Zeno, eosque ſecuti complures alii perpoliuerunt & abſoluerunt: quam nos etiam ſummo cum reipub. bono in ſcholas Catholicas inducendam, omnibusque adeò ſalutis ſuæ cupidis, & bonam mentem amantibus etiam atque etiam commendandam in SATYRICO noſtro docuimus. De cuius maxima & vtilitate & neceſſitate quoniam ſatis multa à nobis dicta ſunt, nihil iam reſtat aliud, niſi vt reprehenſoribus, quorum duo genera huic rationi atque diſciplinæ opponuntur, breuiter reſpondeam. Primùm enim *Aulici* noſtri & magnatum aſſeclæ, quod genus hominum exquiſita ac propè faſtidioſæ tam in iudicando, quàm in viuendo ac colendo elegantiæ eſſe ſolet, triſtes iſtos ac ſuperciliosos Stoicos, alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pædagogos non modò ad cognitionem non admittendos, ſed etiam, ſicubi ſe inferre & intrudere conentur, circumſcribendos & furcillis eiiciendos clamabunt: veriti ſcilicet, ne, ſi huic generi inter ipſos locus detur, & oculi pannoſorum & obſoletorum iſtorum habitu, & nares vnctorum æternaque illuuie ſordidorum ac ſqualidorum fœtore offendantur, aures denique aſſiduo

pugnacissimorum & in disputando cedere nescientium conuicio verberentur. Cui illorum metui dum conor occurrere, idem mihi prorsus, quod sæpius cum Lutheranis agenti solet, vsu uenire sentio. Sicut enim in probanda ipsis Catholica maiorum suorum fide caput hoc est, vt demonstrem, eos Catholicorum de singulis Fidei articulis sententiam non satis perspectam habere, cùm ipsi longè aliter credant, quàm adulescentioris istius religionis præcones, fallaciter & inuidiosè quicquid ipsis accommodatum caussæque suæ vtile videtur, Catholicis affingere soliti, concionario suo populo persuaserint: ita si nostris Aulicis planum fecero, haud paullò alium, quàm ipsi arbitrentur, esse illum, quem suis Stoici præceptis informant, sapientem, æquiores eos toti huic Sectæ futuros confido.

Frustrà igitur sunt, multumque eos fugit ratio, si Sapientem Stoicum ex illa nota esse censent, qui habitu obsoleto & inculto, barbaque impexà, & efferato trucique vultu, moribus denique à communi victu & quotidiana vitæ consuetudine alienis Philosophiam mentiuntur, quos scitè Horatius notat, cùm scribit:

Asperitas agrestis & inconcinna, grauisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici veraq; virtus.

qui-

quibus similes poetarum nonnullos ait, quorum:

— bona pars non vngues ponere curat,
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.

Vt enim ex iis, quæ suprà cap. CXLVI. dicta sunt, perspicuum est, hoc primum Stoicorum disciplina promittit, sensum communem, humanitatem & congregationem: quippe qui finem hominis esse dicant, secundum naturam seu rectam rationem viuere. Ex quo facile intellectu est, tantum abesse, vt Philosophi Stoici mores à politulorum istorum consuetudine abhorreant, vt Sapientis nomen vix, ac ne vix quidem, tueri possit, nisi cùm sic res ferat, aut amicorum patriæue necessitas postulet, omnes Aulici (vt Stoicorum lingua loquar) numeros in se habeat. Ac quamquam hoc παραδοξώτερον multis visum iri præuideo, neque quin ad reliqua Paradoxa apponatur, quicquam repugno: si tamen & constare nobis, & præceptis summorum Philosophorum fidem adiungere velimus, vix est, vt aliam tenere sententiam queamus. Vt enim de Vestitu dicere omittam, quo etiam ad Socratis exemplum (q; Laertius refert) habita temporis ratione, mundiore & nitidore, vtetur, omnemq; de oris munditia mentionem hinc circumscribam (quamuis ea sic hominē decere videatur, vt præcipiat Epictetus lauare os,

vt quis homo ſit,non beſtia,non porcellus) neà ſpeculo quidem, cuius vſum Apuleius in Apologia ſua Philoſopho vindicat, formæ conſilium petere, & faciem moroſiorem lauacro macerare dubitabit. Quadram quidem ſeu tabellam (ait idem Epictetus) tu ipſe eſurus lauas, niſi prorſus immundus & ſordidus fueris: corpus autem non lauabis, neque mundum efficies? Quamobrem, inquis. Rurſus ergò tibi dico, primùm,vt, quod hominis eſt,facias: deinde,ne moleſtus ſis conuictoribus. At te ipſe dignnm cenſes,qui fœteas? Eſto,ſis dignus: num etiam ii, qui ſecundum te conſident, qui tecum accumbunt? Aut in ſolitudinem abi, qua dignus fueris, aut etiam ſolus viue, tuoque fœtore & ſordibus oblectare. Æquum enim eſt, te illuuie & immunditie tua ſolum frui. Cum autem in vrbe ſis, adeò inconſideratè & inciuiliter vitam agere,cuius tibi eſſe videtur? Decet certè ne corporis quidem ſpecie vulgus à Philoſophia abſterrere: Sed vt in ceteris hilarem & tranquillum ſe præbere,ita etiam habitu corporis.Quare neque abhorrebit Sapiens,quas Apuleius vocat,

—mundicinas dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,

Euer-

Euerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua visatur tætra labes sordium,
Restrictis fortè si labellis riserit.

Scit nimirum Sapientiam non renunciare munditiæ, & si cuiquam, Philosopho certè conuenire nihil in se sordidum sinere; nihil vspiam corporis apertum, immundnm pati ac fætulentum, præsertim os, cuius in propatulo & conspicuo vsus homini creberrimus, siue ille cum quiquam sermocinetur, siue in auditorio dissertet, siue in templo preces alleget. omnem quippe hominis actum sermo præit, qui, vt ait poeta præcipuus, è dentium muro proficiscitur: ita vt nonnullos de mundulis istis Palatinis illuuiei suæ meritò pudere debeat, qui si scirent, quantam alieno naso molestiam exhibeant, ieiunam & hircosam ac contaminatam suam animam, vel Mephitin veriùs exhalando, vomitumq; iis, quibus cum consistunt aut fabulantur, excutiendo, næ illi faxo in Stoici alicuius disciplinam traditi, exotico etiam puluere dentes emundare, animæque vitium emendare discerent, nisi quidem malint Iberorum ritu, *sua sibi vrina,*

Dentem atque russam pumicare gingiuam.

Neque verò ad hæc modò leuicula & minima nihil ab Aulicorum moribus demutabit Sapiens, etiam libris nonnumquam de manu depositis (quamuis se beatos multi reputent, si possint iis perpetuò affixi

—sub paupere tecto,
Reges & regum vita pracurrere ami-
cos)

Datoque studiis interuallo in turbam hominum se dabit, & animo non solùm æquo, sed lubente consilia, studia & actiones hominum, quamuis insipientium, considerare volet. Atque hoc ipsum sanè Pythagoras spectasse existimandus est, cùm vitam hominum *Panegyri*, hoc est, mercatui ei, qui habebatur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate, similem esse dixit. Vt enim eò quidam certandi, quidam mercandi studio, ceteri verò, iique vel maximè ingenui, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, visendi caussa accedebant: Sic etiam in vita alios gloriæ, alios pecuniæ seruire, alios verò Philosophos in contemplatione occupari.

Hac quàm Stoicæ rationi consentanea sint, apud Arrianum Epictetus docet, ac non minùs cupiditate otii, & tranquillitatis ac studiorum, quàm imperii, honorum & pecuniæ libidine infelices effici homines testatur, quòd æquè vtraque in aliena potestate sita sint: ostenditque felicitatem nequaquam in studiorum assiduitate & lectione librorum esse positam, sed in recto lectionis vsu, adeoque miserum fieri oportere, qui non ita studeat, vt, si quis casus inciderit, vel vocante eum amicorum vtilitate,

possit

possit etiam æquo animo non studere: vtique cùm studium exercitationis, occupatio verò vel conuersatio, pugnę certa minisque rationem habeat. Nunc (inquit inter cetera) à studiis auocor, quid acturus? Abeo obseruaturus mensuras, quæ custodiendæ sunt, vt agam verecundè, vt securè, vt citra appetitionem & auersationem rerum externarum. Pòst, homines obseruo quid dicant, quomodo moueantur: idq; non maleuolè, neq; vituperandi aut deridendi caussa: sed ad me ipsum refero, an & ipse sic delinquam: quomodo igitur desinam? Tunc & ego peccabam, nunc autem non item: gratia sit Deo. Age, istis factis & hoc studio occupatus peiusne rem gessisti, quàm si mille versus legisses, totidemue scripsisses? Nam cùm edis, dolesne te non legere? non satis est, te ita edere, quemadmodū legisti? cùm lauas? cùm exerceris? Cur igitur non in omnib. eodem modo sentis, siue Cæsarem, siue quem alium adis? Perinde agis, ac si pugil stadium ingrediens ploret, quod non foris exerceatur. hac gratia exercebaris: huc pertinebant halteres, puluis, adulescentuli. Tu nunc illa desideras, cùm rei gerendæ tempus adest? Quod autem frequentiam hominum, tumultū appellas, quid in illo graue est? Finge Olympia esse, celebritatē esse existima. Ibi etiā ali⁹ aliud agit, alius aliū trudit. In balneis est turba. qs aūt nostrū ea turba non delectatur? quis tristis inde discedit? Turbā certamen appella, celebritatē ludorum, festiuitatē: da operam, vt eam

cum aliis celebres. quod enim iucundius est humano viro spectaculum, multitudine hominum? Equorum & boum armenta cum voluptate spectamus: naues multas cùm videmus, exhilaramur: homines multos cùm videt, quis dolet?

Sed neque *Aularum* quidem vsque eò fastidiosus erit Sapiens, vt eas sibi omnino abhorrendas ac detestandas existimet. Sic enim legimus apud Stobæum: Sapientem nonnumquam cum Regibus victurum aiunt Stoici, quemadmodum & remp. recturum, nisi magnum sibi ex eo periculum sine vllo fructu paratum videat. Quamuis enim in aulas, vt Clemens Alexandrinus scribit, cadat corruptio & interitus, iisque insit vana honesti opinio, inanis gloriæ cupiditas, error & adulatio: laudeturque ab hominibus de schola sententia illa Diphili Comici:

Αὐλὰς θεραπεύειν ἐστὶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
Ἢ φυγάδος, ἢ πεινῶντος, ἢ μαστιγίου.
Erronis est aulas sequi, vt ipse existimo,
Aut verberonis, aut certè famelici:

Primùm tamen hoc in illis facit lucri, vt hominem *cuius tempori*, velut. de Mummio Cicero, vel *omnium horarum*, vt de Asinio Pollione alii referunt, hoc est, πολύτροπον, commodum, & ad omnem humanitatis rationem moderatum agere, si vnus veniat, possit: id quod Stoicæ disciplinæ lumen & ornamentum, Antoninus Imp. ὁ φιλοσοφώτατος, apertè satis significat.

cat, cùm ſcribit : Si tibi ſimul & nouerca & mater eſſet, illam quidem coleres,& tamen crebrò ad matrem te reciperes; eadem tibi eſt ratio Aulæ & Philoſophiæ. quare ad hanc ſæpe numero reuertere & in hac acquieſce, quæ efficit, vt & res aulicæ tibi tolerabiles videantur,& tu, dum in iis verſaris, ferri queas. *Deinde* dubium non eſt, quin multæ ſæpe ac præclaræ magnatum clientibus & familiaribus de patria deque amicis bene merendi occaſiones offerantur,quas omnino excluderet Sapiens,niſi ad Aulas in loco viſere, ibique horarum bonarum, vt plerique iudicant, *iacturam*, vt ego interpretor, *impenſam* facere animum induceret. Ac proinde ſapienter monet Plutarchus : debere quemque magna cura & ſtudio amicitiam potentis alicuius rectè comparare, qua velut ſaburra firmiter conſtitutus, eiusque vi nixus certo patriæ præſidio ſit: qua quidem ratione vberrimos percipi fructus poſſe, Polybius &Panætius exemplo ſunt, qui beneuolentia & conſuetudine Scipionis maximopere patrias ſuas iuuerunt, & ingenti felicitate affecerunt. Ac velut apes Cretenſes (vt idem alio loco diſputat) ſi quam oram procelloſiorem circuire eas oporteat,quo minùs vento iactentur, lapillis paruis velut ponduſculo ſe ſtabiliunt: ita prudens potentium fauore ad curandam patriæ & amicorum vtilitatem, contra tætrum inuidiæ afflatum ſibi vtendum exiſtimat. Si enim Themiſtocles ignotus

fuiſſet Athenienſibus (ait idem ipſe contra Epicuræos diſſerens) Græcia non expuliſſet Xerxen: ſi Romanis Camillus, non eſſet ciuitas Romana: ſi Dioni Plato, non eſſet liberata Sicilia. Verùm quemadmodum lumen in cauſſa eſt, vt non ſolùm alii aliis conſpicui ſimus, ſed etiam vtiles: ita notitia non gloriam modò, ſed & exercitationem parit virtutis. Quid ergò? (quærit quiſpiam ex Epicteto apud Arrianum) Vis iſtum à me coli? vis me fores eius frequentare? Si ratio (reſpondet ille) poſtulat pro patria, pro cognatis, propter homines, cur non accedat? Cùm non pudeat Sutoris tabernam ingredi, cùm calceis eſt opus; neque conuenire olitorem, cùm opus eſt lactucis: cur diuites accedere, cùm ſimili quapiam re indiges, graueris? Rectè: ſed Sutorem non admiror, nec olitori adulor. Ne diuiti quidem adulare. Quo pacto ergò impetrabo, quod peto? Num ergò ego te accedere ad illum iubeo, tamquam voti tantùm compotem futurum, non etiam eo animo, vt dignitatem tuam tueare? Cur ergò accedam? Vt abeas, & munere ciuis, fratris, amici fungaris: denique vt memineris, te ad ſutorem, ad olitorem veniſſe, qui nullius magnæ præclareque rei poteſtatem habeat, quamuis eam magno vendat. Tamquam ad emendas lactucas abis, quæ obolum valent, talentum non valent. Ita hic etiam, negotium tanti ſit, vt fores frequentes: abibo vt colloquar. Sic eſto:

col-

colloquar. Sed & manus eius deosculanda est, & laude aliqua demerendus & conciliandus eius animus. Apage talentum hic est. nec mihi, nec reipublicæ, nec amicis expedit, perdidisse bonum ciuem & amicum. At re non confecta, non videbor adhibuisse diligentiam. Iterumne oblitus es, qua caussa accesseris? Nescis, virum bonum nihil facere, vt fecisse videatur, sed vt fungatur officio?

In ipsa porrò quotidianæ vitæ consuetudine & conuersatione Sapientis esse putant Stoici, vanas stultasque opiniones alios, si possit, dedocere; si minùs ad aliorum mores, quoad eius saluo officio facere queat, esse accommodare, & tempori cedendo animos illorum ad beneuolentiam allicere. Ita si fidibus canat, si saltet, si facetiis in loco vtatur & quodam vrbanitatis lepôre orationem condiat, si conuiuia hilariter agitet: nequaquam à Stoicorum regula naturæue præscriptione aberrabit, vtique cùm Socratem Philosophorum omnium sine controuersia longè principem ac Sapientissimum, eadem factitare solitum legamus. Sed & lyra siue cithara (ait de ipso Laertius) cùm tempus postularet, canere didicit, minimè absurdum esse inquiens, ea, quæ quis nesciret, addiscere: eaq; in re Conno, vt Cicero auctor est; vt Sextus Empiricus scribit, Lãpone magistro vsus est. Præterea

assi-

assiduè saltabat (velut præter Laertium & Plutarchus Xenophontem secutus auctor est) hanc exercitationem corporis valitudini vtilem arbitratus. De facetiis eiusdem non Platonis modò dialogi fidem nobis faciunt, sed etiam in Officiis Cicero. Dulcem (inquit) & facetum festiuique sermonis, atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, Socratem accepimus. Et Seneca quincto de beneficiis: Socrates, inquit, vir facetus, & cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor hominum maximè potentium. Vt rectissimè à Sillographo dictus fuerit,

Μυκτὴρ, ῥητορόμυκτος, ὑπάττικος, εἰρωνεύτης.

Demet ergò supercilio nubem Sapiens, modisque omnibus amabilem iucundumque iis, quibus cum aliquo familiaritatis vsu coniungitur, præstare se conabitur. Justa enim caussa lætitia est (ait Seneca) lætum amicum videre; iustior, fecisse: id quod etiam Xenophonti secundo de Cyri pædia probari video. Neque verò est, quod cui aliter hic judicare videamur, quàm Stoicorm ratio præcipiat, propterea quod Stobæus tradat ex sententia Stoicorum: *Sapientem Austerum eße.* disertè enim idem Stobæus austeritatem illam hac re definit, quòd ad gratiam sermonem nec proferat nec admittat. Nam etiam cum gratiam captat, præsentium Sapien-

tium

non tam ipsam per se gratiam, quam vtilitatem aliorum hac ratione quærit. Ac propterea, referente eodem Stobæo, Sapientem aiunt Stoici, prudenter conuiuiis operam dare, & συμποτικὴν siue artem conuiuandi inter Virtutes referunt, eamque dicunt esse Ἐπιστήμην περὶ τὸ ἐν συμποσίῳ καθῆκον ἀναστρεφομένην, καὶ πῶς δεῖ ἐξάγεσθαι τὰ συμποσιακὰ, καὶ τὸ πῶς δεῖ συμπίνειν, *Scientiam circa decorum conuiuii, & quomodo conuiuia agitare ac compotare oporteat.* Inebriari tamen sapientem negant, quamuis probe appotum atque madidum, quòd ebrietas peccato non careat, cùm sit in vino insania: Sapiens autem nusquam peccet, omnia secundum Virtutem agens. Sed hæc rectiùs ex Senecæ libro extremo de tranquillitate animi petantur, quorum hic ponere non ab re fuerit: Non in eadem, inquit, intentione æqualiter retinenda mens est, sed ad ipsos reuocanda. Cùm pueris Socrates ludere non erubescebat, & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud & militare corpus mouit ad numeros, non facturus detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectaretur. Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Aliquando vectatio iterque & mutata regio vigorem dabunt, conuictusque & liberaliter potio: nonnumquam & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat

curas,

curas, vegetioremq; animum & audaciorem in omnes conatus faciat. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem Arcesilamque indulsisse vino credunt. Catoni ebrietas obiecta est. at faciliùs efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem. Sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat: & aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus, tristisque sobrietas remouenda paulisper. Hæc Seneca, quæ Socratis exemplo (ne hac vna in re non satis Stoicus videatur) confirmare possumus: de quo apud Platonem in Conuiuio sic testatur familiaris eius Alcibiades: Si quo in loco, vt accidere solet in bello, commeatus deficeret, nulli pares huic reperiebantur ad famem sitimque perferendam. Rursus verò in abundantia rerum & comissatione mensaque militari solus hic frui posse videbatur. Et quamuis bibere nollet, tamen si cogeretur, omnes protinus bibendo longè superabat, & quod omnium mirum est maxime, nemo eum ebrium vidit vmquam.

Quantum verò contentiosis disputationibus apud eos præsertim, quibus se non persuasurum esse intelligat Sapienti abstinendum sit, cùm ex modò dictis perspicuum est, tum pulchrè ab Epicteto apud Arrianum demonstratur.

tur. Quid ergo? inquit. dicenda sunt hæc in vulgus? Cur ergo? An non satis est, tibi ipsi hoc persuasum esse? num pueris, cùm ad nos accedunt, & gestientes dicunt, hodie bona esse Saturnalia, ea negamus esse bona? Nequaquam, sed & ipsi vna gestimus. Et tu igitur, cùm aliquem à sententia deducere non potueris, scito eum esse puerum, eique applaudito, quod si nolueris, taceto. *Et rursum*: Quid ergò? prædicanda sunt hæc apud omnes? Non: sed accommodare nos debemus hominibus imperitis ac dicere: Hic quod sibi ipsi bonum esse censet, id mihi quoque suadet: ignosco ei. Nam & Socrates venenum sumpturus, custodi carceris ploranti veniam dabat: Quàm strenuè, inquit, nos deplorauit? Illi enim se accommodabat, tamquam puero. *Idem* etiam Epictetus, quamuis Sapientem neminis misereri sciat, humanitatis tamen rationem ab eo nequaquam negligendam esse sic in Enchiridio docet: Cùm eiulantem quempiam videris in luctu, siue peregrè profecto filio, siue rebus amissis, caue ne te species illa moueat, vt versari eum in malis ob externa existimes. Sed statim ipse tecum distinguito, sitque in promptu vt dicas: Istum affligit non casus ille (alium enim non affligit) sed concepta de eo opinio. Ac ratione quidem tua perturbationi eius subseruire ne dubita, atque adeò, si, res ita

ita tulerit congemiſcere. Cauebis autem ne intrinſecus etiam cougemiſcas. *Prorſus* autem eiuſmodi eſſe debet Sapiens, vt quæ ipſi apud Stobæum tribuunt Stoici, examuſſim in eum conueniant, hoc eſt, vt ſit, ὁμιλητικὸς bellus, commodus & ad omnem rationem humanitatis moderatus: ἐπιδέξιος, ingenio ad omnia dextro ac verſatili præditus, homo cuiuis tempori & omnium horarum: θηρευτικὸς, alliciens homines & ad amicitiam ſuam adiungens: Ἐπαφρόδιτος, venuſtus & lepidus, ſiue, lepore & venuſtate affluens: Ἐπίχαρις, gratioſus ac iucundus, ſiue, in quo eſt eximia ſuauitas morum atque ſermonum: Πιθανὸς, bene appoſitus & concinnus ad perſuaſionem: Αἱμύλος, blandidicus, comis & affabilis: Εὔστοχος, acutus & perſpicax multumque prouidens: Εὔκαιρος, attemperatus, oportunus & vt cum Senecæ loquar, tempeſtiuus: Ἀγχίνοος, capitalis, celer & acutus ad cogitandum, ſiue, ingenium & mentem in numerato habens: Ἀφελὴς, integer, nudus & apertus: Ἀπερίεργος, non exquiſitus, non inſolens aut ineptus, non ambi-

tioſè

tiosè compositus: Ἁπλοῦς, vir bonus & simplex non inuolutus: Ἄπλαστος, non insidiosus aut fallax, neque eruditus artificio simulationis, qui non studeat specie assimulatæ atque adumbratæ virtutis homines tenere.

Denique vt breui præcidam, faciet Sapiens etiam quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, & quibus alii vtuntur in gloriam aut voluptatem, vtetur agendæ rei caussa. Intus omnia dissimilia habebit, frons eius populo conueniet. *At enim* hoc simulare est, inquies, cùm aliud quidem dicat Sapiens aut faciat, aliud verò intus secum ipse statuat. Sanè verò simulatio hæc dicenda esset, nisi eam Stoicus præ se ferret, eamq; inter officia, quibus hominum actiones diriguntur, aliis etiam præciperet. quo igitur pacto si faciat, quod vitæ secta & professio eius facturum promittit, simulationis accusari potest? Verumtamen ne cui nihil dixisse neque firmi quicquam huic tam inuidiosè insimulationi retulisse videamur, actionum consulenda est diuisio illa, ad quam velut ad normam aut regulam, quæcumque aguntur, dirigenda esse supra, cùm de Officiorum præceptis ageremus, demonstrauimus.

Jam verò vt contra ea, quæ *Peripatetici* in criminum loco Stoicis solent obiicere, nonnihil respondeam, hinc in primis inuidiam in eos quærunt, quòd iam olim, qui hanc Philophan-

di rationem docerent ac profiterentur, ſuis ipſi moribus omnem diſciplinæ ſuæ commendationem euertere ſolerent. Luxuria ſcilicet diffluebant, qui Honeſtum in ore ſemper haberent: Contentionibus aſsiduis cum aliarum ſectarum Philoſophis, viris magnam partem lõgè ſe melioribus cõflictabantur, eoſq; probris omnibus malediĉtiſq; vexatos in ſummã plerumq; inuidiam vocabant, qui hæc talia præter ceteros ab officio viri mediocriter boni plurimum abhorrere prædicarent: Inexhauſta pecuniæ auiditate inflammati nihil ſibi priùs faciundum putabant, quàm vt adoleſcentes diuites ac nobiles virtutis ac ſcientiæ opinione ad ſe illectos funditus euerterent ampliſq; & luculentis patrimoniis exhaurirent, moribundos & animam agentes officij ſpecie viſerent, ſeq; heredes teſtamento ſcribi aſſentatiunculis & phaleratis dictis eblandirentur, qui pecuniam inter Indifferentia numerarent, neque in ea quicquam ad rectè beateq; viuendum momẽti ineſſe contenderent. Quæ hæc ergò (malũ!) amentia eſt, inquiunt, illam nobis diſciplinam, vt beatæ vitæ effectricem commendare velle, quàm ipſis doctoribus nullo vſui fuiſſe conſtet? Sanè non de nihilo eſſe hãc ipſorũ accuſationẽ ex ipſorũ Stoicorũ ſententia docet Seneca, cùm ſcribit: Nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exẽpla enim

ſe ipſos

ſe ipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio, quod inſequuntur obnoxij, nõ magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Oportet enim (ait Tertullianus) demonſtrationem & commendationem alicuius rei adortos, ipſos priùs in adminiſtratione eius rei deprehendi, & conſtantiam commendandi, propriæ conuerſationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant. *Nihil* ergò doctores huiuſmodi à Penelope telam texente differunt, cùm modò quidem virtutum texant dogmata, mox aliter viuendo eadem retexant ac diſſoluant: *Philoſopha* ſcilicet *homines ſententia, ignauâ operâ, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν*, vt eos apud Agellium Epictetus vacat, qui etiam apud Arrianum negat eum quicquam alijs prodeſſe poſſe, qui nullum ipſe fructum ex doctrina ceperit: quòd alioquin euenturum ſit, quod Plutarchus ait, vt nimirum

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων

Medens aliis, & ipſus vlceribus ſcatens,

re & opere ipſo fidem dictis ſuis abroget. Contra hanc igitur tam acrẽ tamq; inuidioſam criminationem vt auctoritatẽ maſculę illius Stoicorum ſapientiæ ſuſtineam ac defendam, idem propemodum, quod Lutheranis ſoleo, cùm de Religioſorum noſtrorum nonnullis, atque

vtinam ne magnam partem non iniuria, exprobrandi gratia loquuntur, respondendum existimo. Quando enim illi cum maxima inuidia Religiosos illos Catholicis nobis obiectant, & prę ter cætera ambitionem & pecuniarum libidinem insatietatemque in ipsis notare ac detestari incipiunt, quòd exaltatio minimè conueniat professoribus humilitatis, quorum probatio in omni humiliatione constet: resq; sit omninò intolerabilis poscere nummos & contemnere. Indixisti pecuniæ odium (inquiunt) hoc professus es, hanc personam induisti: agenda est, iniquissimum est, te pecuniam sub egestatis gloria acquirere. hęc igitur quando ingenti bile & conuicio elatrant, sic fermè illis repono: Tantumne est vobis à re vestra otii, vt vacet aliena scrutari mala & sententias ferre de quoquam? papulas obseruatis alienas, ipsi obsiti pluribus vlceribus. O vos maximè felices, cùm primùm vobis imitari eorum, quos conlatratis, vitia contigerit! Sed expedit vobis neminem videri bonū, quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit. Inulti splendida cum sordibus vestris confertis, nec intelligitis, quantò id vestro detrimento audeatis. Nam si illi, qui virtutem sequuntur, auari, libidinosi ambitiosiq; sunt, quid vos estis, quibus ipsum nomen virtutis odio est? Si monachus Catholicus, qui non ea tantùm, quæ legibus diuinis præcepta sunt, ad amussim obseruanda, sed alia etiam consilio tantùm,

tùm ſuaſuq; Chriſti commendata, vltro ſuſcipienda ſibi ac perſequenda putat, nonnumquam tamen à regula excidit: quid de vobis ſuſpicari conueniet, qui doctorem & Euangeliſtam ſequimini Lutheruuι, præcipientem: Vbicumq; Scriptura ſacra actionem aliquam iuſtam ac ſanctam ſuſcipere pcipiat, ibi quod ei vehementiſſimè aduerſetur ac repugnet, & tamquam è regione contrarium occurrat, intelligi debere? cauendum à peccatis, ſed multò magis à rectis actionibus ſeu bonis operibus: nullum opus quantumuis malum & capitale, nefarioq; ſcelere junctum, eiuſmodi eſſe, vt hominem reddere queat malum, cùm ſola ſcilicet diffidentia vel incredulitas id præſtare poſſit. Si, inquam, offendit ille & labitur, qui niſi per bonas actiones, hoc eſt, ex virtute. fide nimirum, ſpe & charitate perfectas, nihil ſibi de ſalute ſua polliceri habet: quo vos pacto ſtare aliis probabitis, qui ſola fide niti & rectè facta ſeu bona opera, aliquanto etiam peius, quàm ſcelera, & peccata, odiſſe & deteſtari apertè præfertis? Hæc igitur, & huius generis compluria ipſis regero: à quibus non diſcrepāt, quæ Seneca toto quaſi libro ſuo de Vita beata pro Philoſophorum defenſione obtrectatoribus ac maleuolis ipſorum reſpondet. Negatis (ait inter cetera) quemquam Stoicorum præſtare, quæ loquitur, nec ad exemplar orationis ſuæ viuere. Quid mirum? cùm loquantur fortia, ingentia, omnes humanas tempeſtates eua-

dentia. Non præstant, quæ loquuntur. multum tamen præstant, quòd loquuntur, quòd honesta mente concipiunt, nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est, quod cõtemnas bona verba, & bonis cogitationib. plena præcordia Studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. Quid mirum, si non ascendant in altum? arduos aggressus virtutis suspice: etiamsi decidunt, magna conantur. *Verumenimuerò* iniquè iniurii sunt, qui propter eos, qui contra disciplinæ suæ præscriptionem vixerunt, disciplinam ipsam vituperare, quam eamdem propter illos à quibus præcepta eius omnia sarta tecta fuerunt habita, probare amplectiq; malunt. Numquid enim (ait S. Saluianus) officit bonitati vnius, crimen alterius? aut quod multo est fortius, numquid læditur scelere personali caussa cunctorum? Nam vt magnanimos illos heroas, natos melioribus annis prætermittam, Epictetus certè & Seneca idonei satis videntur, quorum mores & vita rectę rationi conuenientissimè sapientissimeq; acta, quoluis Stoicæ disciplinæ reprehensores facilè redarguat, & linguam maledictis occlusiorem habere cogat. Ac de *Epicteto* quidem nullus, quod sciam, vmquam dubitauit. *Senecam* Dion historicus concidit, & vanissimis maledictorum notis inustum memoriæ posterorum tradere conatus est. Ei tamen nemo, qui quidem sit paullò in iudicio elegantior, fidem temerè adiungendam existimabit,

bit, cùm & ceteri historici nullũ istorum criminum, quæ de eo Dion (quamuis famam potiùs, quàm locupletem aliquem auctorem sequi se præferens) comemorat, in primis vbi de Seneca exactæ iam ætatis & senectutem prospiciente verba faciunt, agnoscant: & Græculum istum magna sit multorum intelligẽtium suspicio pro ingenio gentis suę & inueterata Romani nominis inuidia, non iudicium aliquod de veritate habuisse, sed iis, quib. præter ceteros gloria Romanæ eruditionis ac sapientiæ sustineri videretur, inimicum fuisse: vt ita simillimum vero sit, eum tam illa, quę de Seneca nullo certo auctore in historia sua ponit, quàm orationes Fufii Caleni in Ciceronem maledicentissimas, suo marte composuisse, seu potiùs ementitum esse. Nam q̧ alii diuitẽ fuisse Senecã criminantur, id eiusmodi est quod virtutem viri magis illustret, quàm obscuret. Neq; ego hic dicam, quæ ille pro se dixit illo ipso, quẽ modò laudauimus, de Vita beata libro, cuiusmodi sunt & ista, quæ ibi leguntur: Si maiores Catoni obuenissent opes, non spreuisset: nec enim se Sapiens indignũ vllis munerib. fortuitis putat. nõ amat diuitias, sed mauult. non in animũ illas, sed in domum recipit. nec respuit possessas, sed cõtinet, & maiorẽ virtuti suę materiã subministrari vult. Desine ergo Philosophis pecunia interdicere. nemo sapiẽtiã pauptate damnauit. *Illud* tãtũ dico, cũ in secunda fortuna rectè sape nõ min9 periculosum Socrati arduũq; videatur, quã

in lubrica via cursu certare, eamq; illius sententiam Christus ipse Dominus noster nobis probet, dum minori negotio camelum foramen acus transiturum, quàm diuitem cœlestis regni aditu potiturum religiosa affirmatione adiurat: neminem iam non intelligere, tanto maioris faciendum esse Senecam, qui inter summas opes, quæq; iis comitari ferè solent, discrepandi ab officio peccandiq; occasiones, omnes nihilomin⁹ viri sapientis numeros expleuerit, & suopte exemplo auctoritatem ac fidem præcepto illi suo attulerit; Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Ingentis nempe animi est, qui diuitias circumfusas sibi multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet, suasq; audit magis esse, quàm sentit. Multum est, non corrumpi diuitiarum contubernio.

Deinde autem obiicient Peripatetici, graues minimeq; tolerandos fuisse errores, quos multi Stoicorum docuerint, si modo Laertio, Ciceroni, Plutarcho, Sexto Empirico, in tertio Pyrrhō. capp. XXIV. & XXV. atq; adeò ipsi Senecæ fidem habemus; neque eos in Theologia modò aut Physicis, in quibus scires eos monstra mera ac portenta loq voluisse, sed in ipsis etiam Ethicis, in quibus eos Cicero acutissimè versatos ait. Talia quædam flagitia sunt: I. Ructus & crepitus liberos esse oportere, vt nullus iam auctor requirendus videatur ei, qui reprehensus, quòd ex Pridiana crapula inter amicos languidus ac nauseans ructaret, Homeri versu respondit:

Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν

Hoſpitem amicè habeas, cùm adeſt; ſed mitte volentem.

II. Nullam adhibendam eſſe in ſermone verecundiam, neq; vitanda verba nupta & prætextata, &, vt Athenæus loquitur, ἐκ τῆς συβώρας, hoc eſt, ex ſuburra ſeu lupanari empta, Placet enim Stoicis (ait Cicero) ſuo quamq; rem nomine appellare, & irrident, quòd ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus; illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcenè, liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcenum. III. Virtutes eſſe animalia. IIII. Sapientem, ſi qui fortè caſus inciderit, humanas carnes guſtaturum: V. eumdem ſi acerbiore quodam dolore, ſi ſenſuum orbitate, ſi deſperatis morbis laboret, manibus vltrò ſibi allatis è vita exceſſurum, qua de re ſupra cap. CXLVII. nonnulla diximus: VI. Mulieres inter Sapientes communes eſſe oportere, ſic vt quilibet qualibet vtatur; nam & filios omnes æque ac patribus caros nobis futuros, & Zelotypiam ſeu obtrectationem, quæ mœchorum cauſa ſuſcipi ſolet, è medio ſublatum iri. Sed cùm hæc, & ſi quæ ſunt huius generis alia, neque omnes Stoici, neq; Stoicorum fundamento, hoc eſt, rectæ rationi conuenienter tenuerint, non

et, cur ceteros, qui præscriptionem naturæ secuti & proquam oportebat Philosophati, solam Veritatem & emendationem vitiorum ac morborum humanorum propositam habuerunt, excludamus eorumque bene inuenta aspernemur. Neque tamen defendere ac negare velim, fuisse Stoicorum non paucos, qui specie ingenii illecti, inanibus argutiis ludibria quædam excitando dignitatem seuerissimæ & grauissimæ rationis in contemptum adduxerint: quorum princeps iure dici possit *Chrysippus*, qui cùm esset magna quadam ingenii vi præditus, mireque ad quiduis excogitandum celer & acutus, nihil æquè solebat laborare, quàm vt non reliquarum tantùm sectarum inuentoribus contradiceret, sed à magistris etiam suis Zenone & Cleanthe plerisque in rebus dissideret. Ambitio quidem ipsius quanta fuerit, ex Laertio discere possumus. Hæc certe sola ipsum impulit, vt Academicorum contentione vtens de plerisque rebus in vtramque partem disputaret: quippe cui nulla esset Veritatis antiquitas. Sed sicut Cato aiebat, neminem alium, præter Cæsarem, sobrium & prudentem ad rempub. turbandam accessisse: ita videtur hic homo (ait Plutarch.) summa cũ accuratione & vi subuertere & demoliri consuetudinem, quantum quidem potest. Et cùm videret Epicurum multitudine librorum, quos suis verbis nullo alieno vsus testimonio scripsit,
omnes

omnes Philoſophos ſuperaſſe: hanc ipſius πολυγραφίαν omnino æmulari ſtatuit, adeò vt Carneades ipſum Epicuri librorum paraſitum appellarit. Neque tamen tam capitalis & acutus ad laudem eius, quem ſcribendo æquare contendebat, adſpirare potuit. Sæpè enim ſcripſit eadem, ſæpius ſibi contraria ac repugnantia, cumq; quicquid in mentem veniſſet, ſubitò in commentarium referret, ſępiuſq; ſcripta ſua corrigeret, & teſtimonijs poëtarũ plurimis vteretur, valdè numerus librorum eius auxit. Denique cuiuſmodi cenſes Stoicum fuiſſe, qui vel mero dulci hauſto, vel præ nimio riſu interijſſe ſcribitur, cùm ſcilicet aſinum ficus comedentem vidiſſet? Tolerari hoc forſan in Zeuxi pictore poterat, quem Verrius Flaccus auctor eſt eſſe mortuum, cùm pictam à ſe vetulam effuſius rideret: in Philoſopho autem quouis, ne dicam Stoico, qui ferre hoc poteſt, eum ego ficuum eſu vel ſexcentis Chryſippis riſum concitare, eoſque ad mortis neceſsitatem deducere poſſe exiſtimem. Non iniuria igitur Plutarchus cùm alias, tum in libris de communibus notitijs, deque ijs, quæ pugnantia loquuntur Stoici, audaciam & temeritatem Chryſippi in primis coërcendam ac circumſcribendam ſuſcepit: quamuis non ſemel rectiſsima Stoicorum decreta torqueat, neque ſatis integrè proponat, velut aliàs vberius à me demonſtrabitur.

Sed

ſed ſolet hoc fieri, quoties victoriæ maiorem, qui diſputant, quàm Veritatis rationem ducunt, verumque eſt illud poetæ:

Nimium alterando Veritas amittitur,

quod Carneadi quoq; eueniſſe Cicero teſtatur, vt odio ſcilicet Stoicorum in conſtituendo bonorum fine, plurimum à reliquorum Academicorum, ſuaq; ipſius ſententia diſcederet. Ne igitur idem nobis vſuueniat, meminerimus finem huius Stoicæ, qnam in ſcholis referri ac renouari cupimus, diſciplinæ, præcipuum eſſe, vt mot^9 animi turbatos cohibeat. & appetitiones obedientes efficiat rationi. Hanc ad rem quicquid proficere & adiumenti aliquid afferre poſſe viſum fuerit, ſiue id à Stoicis, ſiue à Peripateticis, ſiue ab Epicuro denique profectum ſit, ſine retractatione adhibebimus, cùm ſic faciendi ipſe Zeno aliique fortiſſimæ huius ſectæ conditores exemplum nobis reliquerint. Sed neque ego, ſi quis *Paradoxa* nonnulla, quòd à vulgari conſuetudine nimium quantum abhorreant, omittenda cenſeat, quo minus ita fiat, impedire aut repugnare velim: (quomodo & ipſe non pauca quòd reuera cum ipſorum Stoicorum principiis & cum Veritate parum conuenirent, prætermiſi, ex quo genere ſunt: Solum ſapientem eſſe Rhetorem, vatem, poetam, grammaticum, medicum, œconomicum, equorum canumq; ſtudioſum, nihil opinari, numquam decipi, & ſi quę alia ſunt friuola ac nugatoria) dum tamen nouerimus,

rimus,non minimùm ea ad beatè viuendum valere, & vt in neminem prorſus tanta cadat virtutis exſuperantia atq; perfectio, nequaquam tamen nullo vſui futurum, aures hominum huiuſmodi vocibus, quæ illam flagitent ac requirant, aſſiduè perſonare. Quædam (inquit Seneca) præcipimus vltrà modum, vt ad verum & ſuum redeant. Cùm dicimus, Meminiſſe non debet, qui beneficium dedit; hoc volumus intelligi, prædicere non debet, nec iactare, nec grauis eſſe. Quoties enim parum fiduciæ eſt in his, quib. imperas, amplius eſt exigendum, quàm ſatis eſt, vt præſtetur, quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacio veniat: neque vmquam tantum ſperat, quantum audet, ſed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat. *Prǽterea* quid habet incommodi aut detrimenti, etiam falſiſſima Stoicorum decreta diſcipulis explicari, cùm in bonis auctoribus, quà ſacris, quà profanis, ignorare multa oporteat eum, qui intelligentiam illorum Decretorum nullam habeat? quod facilè verum eſſe deprehendet, ſi quis huc noſtra opera, ad Ciceronis Philoſophica, Senecam, Epictetum, Plutarchũ, Laertium & Clementem Alexandrinum legendos & intelligendos vti voluerit. Cùm igitur compluribus & grauiſſimis Ariſtotelis errorib. minimè abſterreamur, quominùs in Chriſtianis & Catholicis ſcholis eum proponamus & illuſtremus: quid ni in præceptorem Ariſtotelis

Socra-

Socratem, primum Stoicæ, vt demonstraui, disciplinæ inuentorem, eodem animo vtamur? Vt igitur finem huic disputationi imponam, rectissimè facturi videmur, si Stoicam, quæ mores ordinat, Philosophiam, tamquam oleastrū natura sua agrestem & sterilem, in pinguedine oleæ, Christianæ scilicet Philosophiæ, inseramus, velut pulchrè Clemens Alexandrinus præmonstrat. Insitio enim, inquit, eas arbores, quæ erant inutiles, facit generosas, & quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ, & scientia, quæ est ex cognitione. Non est ergò, vt quis hoc nostrum de ista Philosophādi ratione in scholas inducenda consilium secus interpretatus in eam partem accipiat, nos ambitione lapsos paulò nimium, plus certè quam satis sit, quamque veritas patiatur, Philosophiæ Stoicæ deferre: qui non aliter ad percipiendam virtutem & beatam vitam adiuuare eam credimus, nisi Christianæ Sapientiæ inseratur, ac tamquam dominæ ancilla seruitum addicatur: quæ & ipsa Clementis Alexādrini est cōparatio, quam cùm in primo Stromatum pluribus verbis illustrasset, hac tādem allegorica scripturarum sententia concludit: Vnde etiam Abraham (cùm Sara æmularetur ancillam Agar, quæ erat in maiori, quàm ipsa existimatione) vt qui ex sæculari Philosophia illud tantum, quod vtile esset, elegisset: Ecce, inquit, ancilla in manibus tuis: vtere ea, vt lubet.

Iubet. Quasi diceret: Sæcularem quidem amplector doctrinam, & vt iuniorem, & vt conseruam: Scientiam autem tuam, vt perfectam dominam, honoro & colo. Et afflixit eam Sara, quod perinde est, ac correxit & admonuit.

FINIS.

LAVS DEO ET BEATÆ MATRI Mariæ semper Virgini.